

5571.
Haller.

**SPECIMEN TOPOGRAPHIÆ
MEDICÆ REVALENSIS.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CÆSAREA LITTERARUM
DORPATENSIS,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCATUR

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINAND AD. HALLER,

ESTHONUS.



REVALLE.

EX PIS. LEINDORSIANIS

MDCCCXXXVI.

VIRIS PRÆSTANTISSIMIS MAXIMAE
PIETATE COLENDIS
HOC PRIMUM LITTERARUM SPECIMEN
GRATI ERGA ILLOS ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

CAP. I. *De urbis situ et ratione locali.*

REVALIA, caput praefecturae Esthonicae, mediocri emporio florens, a parte maritima munitionibus satis firmata, in circulo Harriensi sita est prope amoenissimum sinus Finnici recessum, cujus fluctibus ex parte septentrionali alluitur urbs, ad Orientem, Meridiem et Occidentem versus terra circumdata, et quidem ita, ut *mons Lacensis* (Laaksberg), quo nomine designatur praeruptum et saxosum fastigium regionis molliter assurgentis, trium vel quinque milliarium Rossicorum (Werste) spatio ab urbe distans, eam, in profundo vallis possitam, arcus instar ambiat, parte celsissima ad 124 fere pedum Anglicorum altitudinem supra maris aequor elatus, alibi autem humilior et leniore fastigio descendens. Similis huic declivitas in longitudinem totius ferme orae Esthonicae porrecta, ab eaque plus minusve recedens, observatur, unde suspicari licet, perpetuum hoc jugum (vernacula voce Glind dictum) maris aliquando limitem fuisse, ad quam opinionem nos ducit vel variorum petrefactorum copia in variis lapidis fissilis et calcarii stratis, quae mons ille continet, inventa. Vallem, in qua urbs sita est, totam fere obtinent steriles arenae, qua praecipue in parte occidentali accumulatae, tamen modo tenue stratum for-

mant, sub quo terra nigra hortis colendis apta latet. In regionibus autem mari proxime adjacentibus solum etiam humidum et uliginosum invenis.

Geographica loci positio accuratissime definiiri potest e specula astronomica, trium milliarium Rossicorum intervallo ab urbe ad Euronotum versus, in summo montis Lacensis fastigio, sub $59^{\circ} 26' 6''$ latitudinis septentrionalis sita, et meridiano suo a Pariensi $1^{\text{h}} 29' 58''$ in tempore differens.

Urbs cum spatiosissimis suburbiis longitudine 6 milliarium ab Oriente ad Occidentem, secundum ripam maritimam extenditur, latitudine autem 4—5 milliarium a litore terram versus adscendit. Suburbia vel primo adpectu discernere possis ab urbe magis prominenti, quae ipsa ex duabus partibus locis variae altitudinis sitis constat, ex urbe propria, atque ex castello seu monte episcopali (Domberg) qui partem ejus occidentalem et quidem minorem amplectitur. Sed jam urbem separatim a suburbiis consideremus. Cincta est muro praealto, frequentibus turribus non nimis excelsis munito, per quem septem portis aditus ad urbem patet. Nomina portarum, si ab Occidente ad Orientem progredieris, haec sunt: 1) *porta episcopalis* (Dompforte) 2) *porta fabrorum* (Schmiedepforte) 3) *porta pecuaria* (Karripforte) 4) *porta lutosae*, (Lehmpforte) quae omnes urbis rommercio cum suburbiis et rure inserviunt. 5) et 6) *porta litoralis minor* et *major* (Kleine und grosse Strandpforte) ad portum spectantes; 7) denique *porta Cisterciensium* seu *sorum* (Cisterpforte) ad Caurum vergens, ex qua etiam via ad suburbium ducit. Muro illi adjacent fossae profundae, maximam partem paludosae, ideoque perniciosis saepe exhalationibus aërem inficientes, siccis autem temporibus minus humidae, graminibusque adeo vestitae, utrinque vallo satis alto septae. Nuper tomen prope

nonnullas portas, subverso vallo, fossae repletae, pontesque versatiles, olim iis impositi, in vias solidas mutati sunt; quin etiam duo ibidem horti exsiterunt, pecuniis libetaliter collatis et aedificati et culti, quorum alter, portae fabrorum ricinus, qui hortus puerorum appellatur, commodissimum et saluberrimum locum oblectationis et virium exercendarum pueris praebet, alter plantarium continet, unde arbores transferuntur in locos publicos, si quae ibi emortuae sunt. Vallum illud descendit ad prata herbosa, quae in variam latitudinem porrecta urbem cingunt, ipsa vero tanquam limite circumscribuntur ambulatione populis utrinque adsitis opaca, ab una porta ad alteram pertinenti, hominibusque otiosis maxime frequentata. Sed illa urbis divisio in *castellum* et *propriam urbem* maximi momenti est, cum haec duae partes multum inter se differunt aëris natura. Quamobrem utraque earum separatim nobis describenda esse videbatur.

1) *Castellum* seu *mons episcopalis* et *suburbium*, quod ad eum pertinet. Occidentalis urbis pars supra reliquam majorem assurgit in arduum collem, qui montis episcopalis nomen fert, horrendis saxis in praerupto clivo eminentibus, cujus ad extremum marginem proxime adjacentes domus, si quis ab inferiore parte eas intuetur, metum movent, ne quando praecipites ruant, cum ultra ipsas rupes suspensae prominere videantur, easque vi tempestatum ita corrosas ut magna interdum saxa ab iis dissolvantur et decidant. Montis hujus incolae per portam supra memoratam cum suburbanis commercium agunt, in urbem autem inferiorem descendunt via arcta, altissimis utrinque moenibus septa, quae dicitur *mons episcopalis longior* (lange Domberg) et octava urbis porta clauditur. Praeter hos duos aditus tertius patet per *montem episcopalem brevior*

(kurze Domberg), semitam arduam lapideis scalis ex urbe assurgentem. Aedificia in castello sita, numero 57, ad unum omnia ex lapidibus satis eleganter exstructa, pleraque a nobilibus possidentur. Plateae perpaucae et angustissimae maximam partem fundulis finiuntur. Sed inter aedificia haec inprimis excellent: 1) *Ara*, quae a summō rebus civilibus in illa provincia Praefecto inhabitatur, et compluribus judiciis locum ad considendum, simulque parti maleficorum et in vincula publica traditorum asservandae carceres praebet; ante eam locus publicus quadratus, multis praeclaris aedificiis cinctus, patet, militaribus maxime pompis et lustrationibus inserviens. 2) *Domus equestris*, continens oecum amplissimum, gentilicis cunctorum equitum Esthonorum insignibus, atque complurium Rossicorum Imperatorum imaginibus decoratum, quo equestris ordo ad comitia provincialia habenda convenire solet. Huic quoque domui nonnulla insunt tribunalia. 3) *Aedes cathedralis* seu *equestris*, extrinsecus celsis et umbrosis arboribus, intus egregiis quibusdam monumentis sepulcralibus ornata. — Castellum propter situm in loco edito et aedificia latioribus interval-
lis diremta, non solum majore frigoris asperitate et liberiore ventorum perflatu insigne, sed ob hanc ipsam causam aëre integriore gaudens, inter saluberrimas urbis partes jure censetur. — *Suburbium episcopale* valde spatiosum, in trium milliarium Rossicorum longitudinem porrectum, viam sequitur, quae Hapsaliam, oppidum provinciale, ducit. Domus in eo, 121 numero, omnes fere lignae, loca pleraque propter paludes et maris vicinitatem humida et nebulosa, ideoque insalubria sunt; alia tamen hujus suburbii pars in colli mediocri, qui *mons St. Antonii* appellatur, sita, cum et liberiore coelo et sicciore solo fruatur, minus infesta est sanitati. —

2) *Urbs inferior* sive *propria*, i. e. reliqua pars, muris circumdata, spatium majus amplectitur. Plateae a singulis portis pleraeque ad mediam urbem pertinentes, admodum angustae, insuperque curvae et flexuosae, parum laetum praebent adspectum, praesertim cum domus celsissimae ita iis superimmineant, ut urbem ingredientibus saxei molibus se oppressum iri putent. Ante nostra tempora multae praeterea aedium partes longe procurrentes, ut tabernae vel latae scalae et lapideae et lignae, vias magis etiam coarctabant; quae tamen impedimenta, ex lege nuper promulgata, omnia, quantum licebat, remota sunt, ita ut, dum mediae plateae a rhedis plaustrisque occupentur, pedites tutis commodisque semitis, justa domus ex saxo quadrato exstructis, ad negotia persequenda festinare queant. Aedificiorum continua series ab utraque parte decurrit, paucissimis hic illic hortulis interpositis. Sed platearum angustiae et anfractus non modo commeanantium itinera difficilia reddunt, verum etiam multo gravius incommodum important, aurae transitum tam necessarium ad aërem purgandum prohibentes. Neque enim ventorum perflatu satis patent loca profunda et ab omni parte septa, unde efficitur, ut, aestate ingravescente, fervidus aër maximam molestiam et languorem afferat hominum corporibus, neque impediri potest, quo minus inter arcta murorum variae sordes et illuvies confluentes stagnet, quibus aër inclusus gravissime afficitur. Namque plateae, quamquam singulis hebdomadibus semel vel bis repurgantur, et humorem adeo foetidum cloacae subterraneae quotannis detergeri solitae, deducunt, tamen, simulac pluvia tempestas ingruit, imprimis autem verno et auctumnali tempore sordibus coenoque abundant, praesertim cum purgamenta et quisquilliae ex domibus areisque ejectae non illico removeantur. Accedit quod nives

per hiemem in aëgiportis coacervatae, et cum sordibus conglaciatae, stratum lapideum in pedis altitudinem velut corio obducant, quod si vere accedente, opera humana adhibita, rumpitur et exportatur, variae sub hoc tegumento putrefactae materiae aëri quam maxime nocent. — Domus, quarum 571 lapideae, 3 ligueae, omnino egitur 574. sunt, pleraeque ad antiquum aedificandi modum exstructae, tecta habent altissimis fastigiis elata, frumenti aliarumque mercium asservationi apta; nostro tamen tempore complures jam recentiori structurae generi convenienter immutatae et ad normam in commune praescriptam ornatae sunt. In antiquis illis aedificiis cubicula pleraque aream internam versus sita, et quidem unus tantum oecus major cum paucis cellulis inveniuntur; antica autem aedium pars atrium amplissimum continet, in quod per portam prisco more arcuata intrant. Sed, ut jam diximus, multa ad recentiorem modum renovata aedificia hodie exstant, ornatissima et optime disposita, eaque duabus tribusve contignationibus superstructis altius insurgunt. Plerisque domibus suppositae sunt cellae subterraneae, concameratae et humorem redolentes, partim a servis domesticis aediumque custodibus habitatae, qui saepe cum magno suorum numero miseram vitam degunt in angustissimis domiciliis, partim mercibus, et maxime quidem sale culinari, impletae, unde omnibus fere domibus commune vitium nimii humoris nasci videtur. Lapis praeterea calcarius, e montibus urbi vicinis effossus, quo ad aedificandum uti solent, humorem et ipse continet, longoque demum tempore penitus exsiccatur, (quam rem saepe in domibus extruendis negligunt) et ex aëre contrahit; ideoque lignae parietum contabulationes in antiquis aedificiis inventae maximum commodum afferebant, quibus, ut hodie plerumque fit, ademptis, domicilia profecto non meliora constituta sunt. —

Inter domus arctissime positas areis perangustum spatium relinquitur, idque minoribus quibusdam adstructis aedificiis insuper coarctatum, per portam concameratam, tenebricosam, in plateas exire solet. In his areis plurimae coacervantur sordes, cum omnia ex culinis stabulisque purgamenta iis inferantur; si praeterea latrinas ibi perperam saepe positas, totumque hoc spatium vicinis aedificiis circumdatum esse reputes, facile intelliges, quantopere aër his locis inclusus corrumpatur, et quam exitiosus sit urbanis per maximam saltem anni partem cum trahere coactis. Optime igitur inhabitantium salute prospicitur recentiore domuum disponendarum ratione, qua domicilia plateis potius adjacentia exstruuntur. Aër autem multo magis etiam, quam plerumque fit, inquinaretur, nisi aurae maritimae saepe cum reficerent. —

Tria tantum per urbem loca ampliora, plateis patentes, existunt, in quibus latissime extenditur *forum magnum*, media fere in urbe situm, atque, curia uni lateri adjacente, undique tabernis circumdatum; ubi, matutinis praecipue horis, quo tempore rustici merces suas apportare solent, densissima hominum turba invenitur, ideoque sordes in majore copia accumulatur, quae statim remouentur. Secundum locum oblinet *forum vetus*, brevi et angusta tabernisque septa platea cum foro magno conjunctum, cui simillimam speciem praebet, tantum quod multo arctioribus finibus circumscribitur formamque magis irregularem habet. Tertium denique, *forum piscarium* seu *olitorium*, proprie nil est nisi locus paululum dilatatus in vico longo (Langstrasse), ubi tempore aestivo olitores Russici, quorum magnus numerus in suburbiis habitat, fructus et olera vendunt, hieme autem ingens vis congelatorum piscium ematuris offertur, quorum multos putredine aërem inficere dolendum est,

quamvis diligenter publicae disciplinae custodes hanc rem observent. Mihi quidem locus aliquis extra urbem multo aptior ad hunc scopum eligi potuisse videtur.

Ex aedificiis haec tamquam maxime insignia, memoratu digna mihi videntur: 1) *Curia*, turri ornata, in foro magno sita, quae imprimis magistratum urbanorum tribunalia continet. 2) Domus sodalitatis, quae nomen *Capitum Nigrorum* (Schwarzenhaeupter) fert, atque ex junioribus, conjugalium vinculo nondum adstrictis mercatoribus constat. Ibidem conventus oblectationi destinatus celebratur, qui non nisi sodalibus ei adscriptis patet, in horum tamen numerum praeter mercatores etiam nobili loco nati admittuntur. 3) In ea urbis parte, quam monasterium Sti Michaelis quondam tenebat, et quae nunc etiam monasterium appellatur, situm est *Gymnasium provinciale*, in aedificio nuper restaurato, quod paucis abhinc annis summae vetustatis speciem referebat, circumjacentibus compluribus praeceptorum domibus et hortis. Locum tranquillitatis plenum, ab hominum coetu et frequentia remotum, summa cum sapientia electum esse dicerem, nisi militum quaedam domicilia vicina, sordido, ut fit, hominum convictu, praecipue latrinarum foetore, regionem illam minus salubrem redderent; qua fortasse re imprimis effectum est, ut typhus contagiosus, a. 1826 Revaliae grassatus, in illa urbis parte maligniorem quam in ceteris indolem ostenderet. — 4) *Theatrum*, etiam exstat in vico lato, (Breitstrasse) etsi pecunia non suppetit ad histrionum gregem, qui ludos scenicos perpetuo agat, alendum. Aedificium est pulcherrimum, sed parum spatiosum, unde, si majore spectantium multitudine repletur, calor existit molestissimus ac tanto perniciosior, quod neque intra domum aerae permeatus omnino intercludi potest, et e spectaculo egressi atrio frigido excipiuntur, atque mox in aperta pro-

deunt, ita ut muliebris imprimis sexus refrigerationibus maxime expositus sit. 4) *Domus consortii* (Actienhaus), cum theatro conjuncta, amplissimum et ornatissimum oecum continens, quo coetus ex nobilibus et quibusdam viris doctis compositus oblectationis causa convenire solet. 6) *Domus collegii majoris seu mercatorum* (Grosse Gilde) eademque curia mercatorum (Börse) appellata, pariter ac 7) *Domus collegii minoris* (Kleine Gilde) seu *opificum*, quod et Collegium Sti Canuti dicitur, media in urbe sita est. —

Aedes, in quibus sacrae conciones Germanico sermone habentur, Lutherano confessioni adictas duas in urbe conspicias: 1) *Aedes Sti Nicolai*, turris altitudine haec quoque insignis, rem spectandam continet, corpus exsiccatum Ducis Crucensis (Duc de Croix), qui sub Petro Magno quondam summus Rossici exercitus dux fuit. 2) *Aedes Sti Olai* omni tempore eminebat turri celsissima, quam tamen plus semel flammis deletam amisit, ut a. 1433. incendio totam urbem in cineres vertente, tum a. 1625. turris sola conflagravit, eademque postea saepius de coelo tacta, sed hominibus cito succurrentibus servata est. Tandem a. 1820. media inter dies 15 et 16 Junii nocte fulmen incidit in turrem, conductoris praesidio carentem, qua incensa ipsius etiam aedis tecta et interna ornamenta flammis hausta sunt. Sic eximium hoc templum, praecipuum urbis decus, tristium parietinarum instar neglectum stabat, donec a. 1828 aedis restauratio incepta est. Namque Alexander I., liberalissimus Imperator, cum paucis ante obitum mensibus a. 1825 Revaliam invisset, grandem ad hoc opus perticiendum pecuniam promisit, nec minus augustissimus ejus successor Nicolaus I. maxime curam in sumtuosa aedificatione largis donis sustentanda. Jamque opus proxime abest a perfectione; turris quartum inter celsissima quae in Europa exstant aedificia

locum obtineus, ante incendium 441 pedes Anglicanos alta, nunc a solo usque ad extremum culmen crucis fastigio impositae, in altitudinem 451 pedum 3 pollicum Anglicanorum se extollit, et conductore apposito adversus fulminis ictum munitur. Interior quidem aedis pars nondum omnino perfecta est, sed duae jam egregiae tabulae, ab indigenis artificibus pictae ad sublime templum ornandum paratae exstant. Prope has modo dictas aedes vehementissimus aëris motus invenitur, ortus, ut videtur, ex pluribus ibi convergentibus atque invicem se decussantibus plateis. — Duae aliae praeter has in urbe sunt aedes in usum Lutheranam confessionem profitentium; altera, *aedes Spiritus Sancti* appellata, ab Esthonis frequentatur; alteram, turri carentem, Suecorum dioecesis nunc possidet, cum ante hospitio urbano, ubi pauperes et aegroti aluntur, inserviret, juxta quod sita est, post aedem Sti Nicolai. — Ecclesiae Graeco-Rossicae addicti duobus intra urbem templis utuntur, *aede cathedrali*, quae in locum antiquae aedis Sti Michaelis in monasterio exstructa est, atque *aede Sti Nicolai*, in vico Ros-sico (Russtrasse) sita. Huic vicina est *aedes dioeceseos Catholico-Romanae*, exigua pars majoris quondam ibidem in monachio siti templi.

Suburbia, inferiorem urbem trium fere milliarium latitudine cingentia, varie nominantur ab oppidis, ad quae per ipsa viae ducunt, ut *suburbium Narcese*, *Dorpatense*, et *Pernaviense*, quae, accedente *suburbio episcopali* seu *Hapsaliensi*, totam urbem a parte continentis circumeunt. Illud suburbium autem, quod a porta Cisterciensium usque ad portum extenditur, *vicus restiariorum* (Reperbahn) appellatur. Suburbia amoenam quidem speciem praebent, pulcherrimis quibusdam aediculis hortensibus, ubi urbani aetatem degere solent, inter magna pomaria innumerosque

hortos olitorios positus; domus vero pleraeque non satis firmiter exstructae sunt, et inprimis plebs egena, cui facultates ad domicilia commoda sibi comparanda desunt, has regiones incolit, compluribus saepe familiis singula humiles et arctas tabernas una habitantibus, easque cum non tempestive reficiantur saepe labantes ac ruinosas, ita ut pluviorum et ventorum impetui atque frigoris vi pateant. Plateae maximam partem angustae, neque lapidibus stratae sunt, quare fervidis et siccis anni temporibus magna vis pulveris ipsas domus penetrantis excitatur, vere autem atque autumnino itinera altissimo coeno impediuntur quod admixtis multis putrescentibus materiis, aëri maximo detrimento est. Nonnullae adeo suburbiorum partes locis depressis uliginosisque exstructae gravibus saepe nebulis obnoxiae sunt. Saluberrimo coelo fruitur restiariorum vicus, loco celsiore et mari vicinus situs, sicut suburbium Pernaviense, ubi domus minns confertae plurimis hortis et pratis circumdantur; minime autem salutaris est habitatio in suburbiis Dorpatensi ac Narvensi, quod regionem humilem, ripae maritimae ibi depressae et paludosae adjacentem, amplectitur, aedificiis arctissime se invicem contingentibus, atque insuper fossis quibusdam sinuatis concisum est aquam foetidam variaque illuvie inquinatam continentibus, qua multi nihilominus et ad coquendum et ad bibendum utuntur. — Tempa et in suburbiis exstant, nonnulla, e quibus unum cum hospitio pauperum suburbii Dorpatensis conjunctum ubi sacra fiunt ad formulas a Luthero constitutas; quatuor autem Rossorum sacris destinata sunt. —

Addamus etiam nonnulla de Revalensium *portu*, extra urbem in regione Aquilonis sito et in duas partes diviso, quarum altera eaque interior, navibus mercatoriis inserviens, commodissime instructa est ponte, in quem omnes naves,

propter aquae profunditatem proxime appulsae, sarcinas multa cum facilitate exponere possunt; altera vero pars, longis novibus destinata, in semicirculi formam porrectis aggeribus tormentariis cingitur, quorum in parte extrema observatorium eminet. Extra portum naves gaudent statione tutissima propter insulas complures ad itum ejus claudentes, et praeterea trium castellorum tormentis munita; in his *castellum occidentale* praegrande, haud procul a vico restiariorum nuper exstructum est; *castellum orientale*, exiguum quidem, litoris partem illi contrariam tuetur; tertium autem, mortariis etiam bellicis instructum, e saxo quadrato Firmico aedificatum est in parva insula quae dimidium milliarii a litore distat. Itaque Revalia inter loca munitissima censetur, et magna pars classis Rossicae, quae in mari baltico commoratur, in portu Revalensi hiemare solet. Hoc etiam commodum habet statio, quod plerumque non ante Decembrem mensem glacie constringitur eaque mature rursus solvitur. —

Multum praeterea interest aquae, qua Revalenses utuntur, naturam cognoscere. Putei exstant in castello 1 publicus et 26 privati, in ipsa urbe 18 publici et 18 privati, in suburbiis 173; quorum plurimi, praecipue ii qui in urbe sunt, aqua implentur per ductum lapidibus munitum ex *Lacu Superiore*, 4 ab urbe milliariis in vertice montis Lacensis sito. Emissarius ille prope portam fabrorum moenia attingit, sub terra inde latens urbem perfluit, et in parte contraria, juxta portam litoralem majorem exit. Multi ex eo ad siugulos puteos ducuntur canales minores, qui tamen, cum lignei sint, persaepe hiscunt, et maxime quidem in singularum partium commissuris. Aqua et ipsa jam limi arenaeque tantam vim ducens, ut canales interdum obstruantur, coeno insuper intrante per rimas, sordida pleraque est et

aspectu gustuque injucunda, quamvis singulae canalium partes singulis annis renovantur. Putei igitur aquam ad bibendum parum aptam praebent, etiamsi ii, quos principalis ductus praeterit vivo semper flumine fruuntur. Quamobrem omnes qui possunt urbani aquam potabilem ex fonte inter portam fabrorum et portam pecuariam profluenti sibi apportandam curant; sed haec etiam aqua neque integritatem suam et frigus diu retinet, neque propter molestias in advehendo ab omnibus perinde adhibetur; est autem dura, et abundat particulis calcis, quae crustam in vasis coquina-riis formant. Ceterorum puteorum aqua multo mollior est, imprimisque omnia legumina in coquendo facile emollit; ea, quamvis impura, plurimi incolae tam ad bibendum quam ad cibos parandos utuntur. Nuper quidem apud senatum urbanum proposita est conditio, ut canales ex ferro fuso in locum ligneorum substituerentur, sed repudiata partim ob nimios rei impendendos sumptos, partim ob majorem difficultatem in ferreis canalibus purgandis. —

Quamquam igitur interna Revaliae species parum oblectationis oculo praebet, situs ejus in universum praeclarus ad adspectum est, et cum situ Neapolis comparatur ab iis, qui utramque urbem viderunt.*) Profecto enim, imprimis qui e Petropoli adveniunt, necopinatum urbis adspectum e fastigio montis Lacensis admirantur tanquam jucundissimum, ad cujus splendorem augendum sane multum conferunt et maris amplitudo et locorum quae urbem ex parte continetis circumdant amoenitas. Magnus enim hortorum numerus molem parietum velut limbo viridi et laeto praetexit, ex quo villae pulcherrimae elucent. Ad Meridiem tantum et Africum versus oculi offenduntur arenis, in colles coactis,

*) S. Ph. Willigerod's Geschichte Estlands. 2te gänzlich umgearbeitete Auflage. Reval 1830. Pag. 363.

ubi ante multos annos densissimam silvam fuisse dicunt, cujus nulla hodie vestigia supersunt. Ceterum in campis planioribus, cum arenae vix semipede altae humum paludosam tegant, deserta illa colendo in virescentia prata mutare compluribus contigit. Loci illi amoenissimi, ut peregrinorum admirationem movent, ita urbanis aestivo tempore habitationes ad valetudinem firmandam et conservandam aptissimas praebent; quare pauca de iis commemorare nobis liceat. —

1) Euronotum versus ab urbe progredienti occurrit villa imperialis, *Catharinae vallis* dicta (Catharinenthal), cum egregiis hortis, nostro praecipue tempore deligenter ornatis et cultis mediae inter has sitae sunt aedes Caesareae, proceris tiliis et areis floridis cinctae. Horti locorum fertilitate pariter atque humanae artis operibus excellentes usque ad montis Lacensis radices pertinent; praeter alia iis inest taberna quondam a Petro Magno habitata et in monumentum ejus servata. Sed in vicinitate etiam hominum privatorum praeclearae multae villae inveniuntur, aestivo tempore frequentibus peregrinis habitatae, qui eas potissimum eligunt cum commoda balnearia, de quibus infra dicemus, ibidem comparata sint. Montis cacumen specula astronomica et duabus pharis ornatur. Catharinae Vallis locus voluptarius est urbanis celebratissimus, qui festis diebus, frequentes in viis opacis ambulantur. — 2) Magis Orientem versus, 6 milliaria ab urbe remotum, praedium *Kosch* situm est, in valli amoena, quam rivus in mare ibi se effundens perfluit. Ripae ejus adjacent maxime conspicua rudera *monasterii Stae Brigittae*. — 3) Ulterius Aquilonem versus secundam oram maritimam pergentes accedimus ad *praedium Wiems*, quod 12 fere milliaria ab urbe distans, hortorum latissime extensorum pulchritudine excellit. 4) Ab australi urbis parte

tria circiter milliaria abest *Vallum Sti Joachimi*, prope montis Lacensis radices. Ibi nosocomia militum et pedestrium et classicorum sita sunt loco amoeno, quem tamen urbani propter molestias viae arenosae per suburbium Dorpatense eo ducentis raro adeunt. — 5) Magis autem celebratur oblectationis causa *hortus villae Wittenhoff*, propius urbi ad viam Hapsaliensem situs, quem, egregium aliquando, nunc incuria ejus, qui villam possidet, magis magisque vastari sane dolendum est. — 6) Eadem in regione, sed paulo longinquior, *villa Löwenruhe* adjacet bivio, ubi modo dicta via dividitur in propriam viam Hapsaliensem et alteram, ab hac villa nominatam, quae deinde in viam Pernaviensem exit. Hortum exiguum quidem, sed praeclearum 20 fere abhinc annis laeti urbanorum coetus frequentare solebant; hodie raros ibi ambulantes conspicis. 7) Ad ipsam viam Hapsaliensem, quarto ab urbe lapide, situm est *Schwarzenbeck*, villa cum balneis parum usitatis domicilia etiam hospitibus recipiendis parata continens. — 8) Pagus *Tischert*, ad vicini praedii Strandhoff ditionem pertinens, 12 milliaria ab urbe distat, in medio inter montem praecaltum, variarum arborum comis mirifice decoratum, atque maris ripam positus. Per multi urbis incolae huc se recipiunt et menses aestivos ruri peragunt; quamobrem ex rusticorum tuguriis temporis progressu commodiora et satis bella domicilia exstiterunt; nec non maris vicino ad balnea utuntur. 9) Denique sine praetermittamus *villam Fall*, 30 ab urbe milliaria, loco amoenissimo sitam, quae curis viri illustris nunc eam possidentis pulcherrima totius Esthoniae facta est; proxime eam praeterfluit amnis, cujus aquae, arduis et umbrosis ripis inclusae, ex petra altiore magno cum strepitu cadunt, ac paulo post in mare exeunt. Multum sane ad hujus loci jucunditatem contulit naturae

pulchritudo per eum diffusa, quae tamen, quantacunque est, paene obscuratur operibus hominum arte ac labore perfectis. Horti enim amplissimi, per complures clivos ad maris usque ripam pertinentes, summo nuper studio excolti sunt. Villa praeclara, in speciem castelli antiquo more exstructa, et splendido cultu intus ornata, multas res spectandas continet. Quibus omnibus urbani permoventur, ut familiarium societatibus, junctis, saepe excurrant ad locum quamvis longinquum visendum; et profecto operae pretium est.

Sed inter loca ab urbanis celebrata numeranda etiam sunt coemeteria publica, singulis dioecesibus destinata; imprimis id quo Germani urbis inferioris incolae utuntur, quod appellatur *nemus laterariorum* (Ziegelskoppel). Locus in lingua 4 milliaria ab urbe Occidentem versus, in mare procurrenti situs, muro et compluribus gentilicis sepulchris (quae sacella dicuntur) circumdatus, horti speciem refert, ubi sub populorum aliarumque arborum umbra mortui humantur. Multi et ibi inveniuntur tempore aestivo ambulantes atque propinquorum defunctorum tumulos obeuntes quos dum floribus sertis cingunt, sepulchri horror minuitur. Coemeterium simplici tantum ornatu gaudet, neque magnifica sunt monumenta, quamvis Revalienses defunctorum manes summa cum pietate colunt. Via eo ducens civis cujusdam optime de patria meriti cura et sumptibus arborum utrinque serie ornata est; desideratur autem ossuarium publicum ad cadavera asservanda, si quando opus fuerit, ne quis vivus hometur. — Coemeterium dioeceseos ad aedem episcopalem pertinentis, in praedio *Moik* ad viam Dorpatensem, quinto ab urbe milliario est, Rossicae autem dioeceseos propius ad urbem, loco arenoso inter suburbia Pernaviense et Dorpatense, coemeterium denique Esthonorum, *nemus piscatorum* (Fischermay) appellatum, litori adjacet

medio inter vicum restiariorum et nemus laterariorum. — Nostra memoria Revalia celebritatem etiam nacta est aquarum marinarum usu, qui magnam quotannis multitudinem adlicit peregrinorum varia mala fluctibus marinis abluere cupientium. In balneariis tamen, quae hunc ad finem a privatis hominibus liberaliter condita sunt et sustentantur, multa adhuc aliquis desideraverit. Quae instituta, si ad majorem perfectionem adduci possint, tam quod ad commoditatem et munditiam attinet, quam ad rationem magis idoneam aegrotorum saluti restituendae periculisque evitandis, futurum esse videtur, pecunia in hac re expensa largiter redeat, nec non remedium illud hominibus infirmis, qui malis ibi se levare posse sperent, majorem utilitatem afferat, ita ut aquae Revalensium prosperiore quam nunc successu fruantur. Ceterum haec urbs ad balnearum usum quam maxime idonea est. Peregrini enim qui negotiorum molem et rituum in vita elegantiore receptorum observationem effugerunt, cum modo locorum apertorum amoenitate, modo oblectationum quibus animus relaxatur, varietate, modo sermonum et morum libertate in hominum usu gaudeant, optime et facillime corporibus simul atque animis prospiciunt; cui sane rei grave momentum inest, et causa non minima salutis, quam aquae marinae infirmis afferunt. Ut a thermis initium faciamus, multae, vaporationibus et sudationibus accommodatae, in suburbiis exstructae sunt in usum plebis, quae ita assuevit his balneis, ut non possit non semel saltem per hebdomadem iis uti, etiamsi tempestates saeviant largique cadant imbres, unde perfrictionum causae non desunt. Praeterea balnearum communitate syphilis et scabies latius diffunduntur, cum contactum in iis evitari nequeat. — Alia autem balnearia exstant aquam marinam aut frigidam aut calidam, aut utram-

que simul praebentia. Aqua calida instructum est balnearium *Wetterstrandti Senatoris*, in vico longo, media fere in urbe peropportune situm, munditie et commoditate excellens, ubi ex nonnullis annis aqua marina, e longinquo quidem advecta, utuntur; additus etiam est apparatus ad embrocationes (Douche). — Majoris autem aestimandum videtur *Krauspianum balnearium*, ante portam litoralem majorem situm, ubi alii aqua marina calida in solis, alii frigida in ipso mari lavantur. Illorum in usum cellae complures, quae caleferi possunt, labris instructae sunt, quibus tum frigidam tum calidam aquam immittere et lavationem ad arbitrium temperare licet. Sed conclavia, etsi commodissima neque immunda, tamen constructione non satis firma neque contra ventorum asperitatem munita sunt, quare e solis egressi perfrigescendi periculo exponuntur. Aqua frigida lavaturi per pontes arctos longe in mare procurrentes perveniunt ad tabernas ex assibus leviter constructas, duobus satis magno spatio diremtis locis, alteri sexui hic, alteri illic inservientes, unde scalis tuto in mare descendentes totum corpus simul immergere possunt, ita ut non laedantur frigoris injuria, quod in aqua minus alta saepe accidit. Neque silentio praetereundum videtur fundum maris et his et aliis, ubi balnea instituta sunt, locis sabulo albo, aequo et solido formari, et aquae altitudinem, per se quidem majorem, quam alibi, paullatim modo crescere. Interdum tamen, ventis ab alto flantibus, aquae subito assurgunt, quamobrem institutum aliquod ad vitam, necessitate urgente, servandam, maxime idoneum foret; nam etsi talis apparatus in domo collegii medicinalis invenitur, nihil tamen, periculo instante, praesto est. — Balnearium circumdatum est domiciliis ad peregrinos recipiendos comparatis, et horto, ubi, quicumque aquis utitur,

ex lubricitate locis umbrosis ambulari et corpus reficere potest. — Simili fere modo, sed majore cum splendore et elegantia comparatum est balnearium Consulis Wittii, haud procul a Catharinae Valle, ideoque magis opportune situm peregrinis, qui in hac regione variis et amoenis ambulationibus ornata aestivare amant. Minora et parum frequentata sunt balnearia in Villa Schwarzenbeck, et quae in vico restiariorum nonnulli possident.

Vehementer doleo, me aquae marinae, qualis prope Hevaliam est, accuratiorem chemicam rationem, ex qua vim ejus salutarem definire liceat, referre non posse. Analysis a Fickio, pharmacopola, aliquando facta, mihi quae impertita haec elementa in 1000 particulis aquae marinae inesse docuit:

Calcariae muriaticae	0,4772.
Magnesiae muriaticae	0,7412.
Natri muriatici	4,3184.
Natri sulphurici	0,8667.

Sed in hac computatione fixorum tantum elementorum rationem habitam videmus, quarum fortasse etiam multa, tum temporis nondum cognita, ab investiganti neglecta sunt, cujus oculum prorsus fugerunt, volatilia, quae tamen maximi in aqua marina momenti sunt, ut Hufelandius*) clarissimus monuit, cujus egregia verba afferam: „Wenn aber die durch die Chemie aus dem Seewasser dargestellten Stoffe, vorzüglich das muriatische Natrium (Kochsalz) und der salzsaure Kalk, schon von großer Wichtigkeit für den Organismus sind, so bestimmen sie doch keinesweges allein die Wirksamkeit des Seebades. Es werden durch den Aufenthalt zahlloser organischer Wesen, durch deren Leben und Absterben im Seewasser, dem-

*) Hufelands practische Uebersicht der vorzüglichsten Heilquellen Deutschlands. Pag. 237.

selben eine Menge feiner animalischer Stoffe mitgetheilt, von denen die Chemie nichts weiß, und die seine Reizkraft außerordentlich erhöhen. Schon der besondre Geruch des Meeres beweist ihre Gegenwart, und die ganze Atmosphäre bekommt dadurch eine ganz eigenthümliche Beschaffenheit, die sich durch den eigenthümlichen Charakter der organischen Natur in den Seegegenden, durch die Kraft und Frische ihrer Bewohner so wie durch die Heilkraft gegen Krankheiten, z. B. physischen auszeichnet. Es ist ja sogar durch neue Versuche, besonders vom Hermsstädt, entschieden, daß selbst Salzsäure sich dabei verflüchtigt und der Atmosphäre keimlich, und man kann also mit Recht annehmen, daß in den Seegegenden nicht bloß das Wasser, sondern auch die Luft gesalzen ist, und mit einem eigenen Reiz auf den Organismus wirkt. Diese flüchtigen Bestandtheile, das innere und äußere Leben der See, der Wellenschlag, die dadurch hervorgerufenen electrischen und magnetischen Strömungen, die eigens modificirte Luftbeschaffenheit, bilden ein Ganzes, in welchem zusammen eben der Grund der großen und eigenthümlichen Kraft des Seebades zu suchen ist, und woraus zugleich erhellet, daß das beste künstlich bereitete, und alle chemisch bekannte fixe Bestandtheile des Seewassers enthaltende Salzbad noch kein Seebad ist.“ —

Temperies aquae marinae alia est alio anno. Proximae duae aestates, coelo inconstante, et plerumque immiti, parum favebant iis, qui ad balneorum usum convenerant, cum calor aquae, qui annis superioribus (velut a 1834.) 17° Reaumuri Thermometri superabat, his duobus annis inter 9° et 13° esset. Utrum uno caloris, an et elementorum aquae aliquo discrimine major vis salutaris balneorum Hapsalensium efficiatur, quam certe extare quidam paucis abhuc annis contendeat, dijudicare non possumus, dum aquarum

analysis comparativa nobis deest. Major quo aqua Hapsaliae gaudet calor (qui anno 1834 ad 20° R. auctus est) ex loci natura nasci videtur. Hapsalia enim adjacet arcto, terra undique clauso maris recessui; Revaliae autem mare apertius vehementiori fluctuum impetui exponitur et magis refrigeratur. Aqua sane prope Hapsaliam, limum quemdam continens, mollior et magis turbida, prope Revaliam purior et pellucidior est; sed illam propter majorem salis copiam huic praestare vix crediderim, cum hae duae urbes non nimis inter se distantes in unius maris ora sitae sint, cumque in sinum Revaliensem unus tantum mediocris amnis, prope monasterium Stae Brigittae, i. e. 4 fere milliaria ab urbe, recta regione, aquas suas effundat, quae praefecto non multum valent ad undas totius sinus satis spatiosi in modum notabilem dulciores reddendas. Hoc quidem certum est, balnea Hapsaliensia ob aquam calidiorum a quibusdam aegrotis commode frequentari posse, qui non sine periculo fortasse in mare prope Revaliam descenderint, ubi majus aquae frigus vividiorum organismi reactionem excitat. Sed illa limosa et mollior aquae Hapsaliensis natura forsitan ei vim salutarem addit, de qua vero adhuc sub iudice lis est. Quo molestius ferimus aquas duorum locorum illorum comparari non posse.

Aquarum marinarum et calidarum et frigidarum frequentissimus Revaliae usus est; cum enim plurimi incolarum aestivo tempore, suavis refrigerationis causa mari saepissime se immittere soleant, tum permulti et indigenae et peregrini e longinquo accedentes in his lavationibus remedium ad sanitatem tuendam et firmandam quaerunt, aut mala quae pertimescunt praevertere studentes, aut eorum quae patiuntur, lenitionem et sanationem sperantes. Multi autem cum hoc remedio utantur, non ex peculiari et ratio-

nali medicorum praescripto, facultatem his adimunt experimentiae augendae ex observata vel prospera vel funesta vi balnearum ad ista mala, simulque eorum qui tanquam balneis utentes enotescunt numero desunt, cujus auctio vel diminutio multis rebus lucem afferre possit. Nihilominus frequentia eorum, qui medico aliquo auctore aquis utuntur, singulis annis augetur, quamvis homines tempestatem maxime spectant, num ad lavandum idonea futura sit, necne. Plerique ab initio mensis Junii usque ad ineuntem Augustum, quidam tamen a Majo incipientes usque ad Septembrem balneis utuntur. Haec sunt, quae ex commentariis collegii rebus medicis praefecti componuntur illi ex singulorum medicorum relationibus pariter atque ex complurium medicorum dictis cognovi:

Curationis initium plerique medici a calidis lavationibus in solis fecerunt, ad frigida balnea sensim progredientes; alii in calidae aquae marinae usu acquieverunt, cujus rei arbitrium partim a singulorum in singulis hominibus morborum proprietate, partim ab aegrotantium constitutione, partim ab opportuna vel adversa tempestate pendeat. Diaeteticarum rationes, quantum necesse erat, certis legibus constituebantur. Aegroti animus variis facilibus occupationibus et sodaliorum jucunditate dilectandus, nec non remotis omnibus quae molestia eum afficerent deliniendus et sedandus, perinde etiam corpus a tempestatum injuria et ab intemperanti ciborum potuumque, ad simplicissimam rationem constitutorum, usu servandum, atque idonea semper motione curandum erat. Raro, et non nisi inopinati aliquid acciderit, interna remedia addita sunt, velut internus usus aquae marinae, 3 vel 4 cyathis per diem potandae, vel aquae mineralis, vel aliorum medicamentorum. Nonnunquam calidae lavationes cum frigidis stillicidiis aut embrocationibus

conjunctae, vel variis additamentis moderatae sunt. His in rebus singulares semper indicationes respiciebantur. Aegrotus semel vel bis quotidie mari se immergere et sextantem vel quadrantem horae in eo commorari solebat. — Exitus harum curarum in universum prosperi fuerunt, ut illae medicorum relationes nos docent; diversissimi enim morbi sanati sunt. Numerus autem perexiguus eorum, qui nulla ex balneis utilitate percepta decesserunt, vel minor exstisset, si aegroti proxima aestate rediissent ad opus sanationis absolvendum, quod brevi tempore balneis idoneo inchoari tantum poterat. Cum enim vires vitales excitatae jam in eo essent, ut ad normam recederent, vix instituto sanandi processu, curatio subito abrupta est, cujus vis salutaris postea demum, aegrotis ex medicorum observatione remotis, apparuit, si modo pristina vivendi ratio, ad quam tunc se retulerunt, sensim progredienti sanitati locum dabat. Mala quibus aquarum usus medelam vel saltem levamentum attulit, varia fuerunt, tum affectiones systematis sensibilis, ut universa nervorum resolutio vel irritatio, Hysteria, Hypochondria, Cephalalgia, Hemisphera, Prosopalgia, Ischias, Paralysis extremitatum superiorum et inferiorum, Amblyopia, Cardialgia, Asthma, Epilepsia; — tum systematis irritabilis, velut congestiones in varia organa, menses ab omni parte irregulares, Chlorosis, Haemorrhoidae, Melaena, tum vitia systematis reproductivi, ut debilitas universalis, Scrophulae, Rhachitis, digestio vario modo turbata, Fluor albus, Glandularum indurationes, Atrophia, Scirrhus, Rheumatismus, Arthritis, Morbus mercurialis, Herpes, Scabies etc. Ratione ducta eorum, qui prorsus sanati et eorum, qui malis ne minime quidem levati sunt, illorum numerus praeter expectationem magnus apparet, cum tantum sexta fere vel duodecima aegrotorum pars nullum omnino fructum ex bal-

neis ceperit. Aquarum usus inprimis prosperum successum habuit in iis morbis, ubi nervorum systema affectum erat; pertiuacissima enim mala nervosa, internis remediis plerumque invicta, balneis adhibitis evanuerunt, vel saltem cruciatus eorum multum remiserunt. —

CAP. II. *Historiae urbis breviarium.*

Cum haud alienum mihi videatur quaedam de Revaliae historia topographiae addere, res gestas paucis complectar, earum inprimis ratione habita, quae ad ipsam urbem pertinent etsi universa provincia plerumque eadem qua urbs fortuna usa est. —

Revalia, qualis nunc exstat, 6 saeculorum vices experta, quamvis manifesto novissimorum temporum ornamentis ex-culta, vestigia tamen evidentissima exhibet summae antiquitatis, quae, ut in plerisque rebus, ita in hac urbe condenda et exstruenda unum maxime consilium aliis rationibus neglectis, sibi propositum habebat. Modus ipse, quo urbs aedificata est, omnino speciem refert urbium Hanseatico foedere olim junctarum, et nunc etiam documento est, Revaliam, mercaturae faciendae peropportune ad ostium sinus Finnici sitam, illius maxime foederis leges aliquando secutam esse. Sed quae de urbis origine accepimus, in dubitatione adhuc versantur, quamquam hoc inter omnes constat, a Danis eam conditam esse. —

Cum enim. XI. saeculo p. Chr. n. Dani frequentes in hanc terram incursiones facerent, et fidei Christianae propagandae, et tributis ex incolis exigendi causa, rex eorum

Ericus IV. a. 1093. monasterium Sti Michaelis condidit, *) cujus reliquiae hodie exstant in Gymnasio Revalensi et in aede cathedrali Rossorum; idque primum a monachis collegii Benedictini, deinde a virginibus ordinis Cisterciensium habitabatur. Paucis post annis Canutus V., rex Danorum, monasterium monachorum Dominicanorum instituit, cujus etiam aliqua vestigia inveniuntur in vico Rossico et maxime quidem in aede Romano-catholica locisque circumjacentibus. Danorum tamen in his regionibus imperium parum firmum erat, quamquam prope illa monasteria castellum *Lindanisse* ab iis extructum est, tempore quidem nobis haud cognito, sed loco eodem fere, quem nunc Revalia obtinet. Anno denique 1218 vel 1219. Waldemarus II., Danorum rex, copiis in oras Esthoniae expositis, partem terrae sibi subiecit; quam ditionem ut tueretur, diruto vetere castello; novum exstruxit, duoque illa monasteria, exiguo spatio diremta, uno muro complexus, urbem condidit hodie Revaliam appellatam, unde Dani, praesidio imposito, et episcopo constituto, ad Esthonorum Christianae religioni conciliandorum opus majore cum vi et ardore accederent. Nihilominus Waldemaro II. loci possessio haud imperturbata erat, cum conatibus Esthonorum jugum a peregrinis sibi impositum excutere studentium, tum oppugnationibus Suecorum atque equitum Teutonici ordinis, qui cum Livoniam vicinam sibi subjectam haberent, Revaliam quoque ditioni suae additam ab a. 1227 — 1238 tenebant, donec Walde-

*) J. Ph. Willigerod's Geschichte Estlands 2te gänzlich umgearbeitete Auflage. Reval, 1830.

X. B. Papels topographische Nachrichten von Lief- und Estland 1. Band. Riga, 1774.

Nomen Revaliae rectissime sine dubio a Danico vocabulo Reefwel ducitur, quod sropulorum seriem (Germanius Riff) significat. Vide Willigerod l. c. Pag. 40.

maro, alibi minus occupato, obtigit, ut potestatem suam in his regioibus validiorem redintegraret, et episcopatum institueret. Sub iis, qui Waldemaro succedebant, regibus Revalia magis magisque effloruit, judiciis secundum jus Lubecense constitutis, et mercatura multis regum beneficiis fruente; quin etiam a. 1284. urbium Cermanicarum societati se adjunxit. Tum et ipsa urbs amplificata, et compluribus aedificiis ornata est; ut a. 1317. aede St. Nicolai, a. 1329. aede Sti Olai, a. 1319 prima schola, a rege Erico VII. instituta, unde illa, quae nunc schola episcopalis atque equestris appellatur, originem duxit. Iisdem fere temporibus hospitium pauperum et infirmorum, quod nunc exstat, et Stadtsiechen-Haus nominatur, conditum esse dicunt. Sed Revalia, quamvis validioribus munitionibus firmata, opes suas parum augere potuit, cum agri et assiduis vicinorum incursionibus, et ipsorum Esthonorum rebellionibus, ut a. 1343. cunctorum rusticorum seditione, vastarentur, atque in super famas ex calamitate frugum urbem pariter ac rus premeret. Tandem cum Danorum reges provinciam Esthoniae non amplius tueri possent, Waldemarus III. a. 1349. eam 19 millibus selibrarum (Mark) argenti vendidit. Supremo ordinis Teutonici Magistro Dusenerio, qui regionem Magistro Goswinio ab Herike tradidit. Sed etiam sub ditione equitum Livonorum Esthonia (ab a. 1349 — 1561.) parum prospera fortuna utebatur; dissidia enim et factiones, quibus illorum ordo tum distrahebatur, Revalensium quoque urbi et provinciae multas calamitates afferentes, opulentiam eorum, quae modo increverat, reprimebant. Praeterea urbs cum castello et suburbis a. 1433 terribili incendio deleta est; sed cum anno insequenti denuo ex cineribus effloresceret, atque majore mox quam antea negotiorum et mercaturae celebritate frue-

retur, sub finem illius saeculi (a. 1496) Revalia inter primaria foederis Hanseatici emporia numerata est. Mercatores Lubcenses, qui complures eo tempore immigraverant, Germanorum mores secum attulerunt, ita ut cultus et doctrinae simul cum opibus crevisse videantur. Sacrorum reformatio, a Luthero instituta, mox (ab a. 1524.) etiam ad Revalenses pertinebat; quibus ipse Lutherus Magistrum Henricum Bock ad Superintendentis munus tuendum misit et commendavit, quod ex Litteris Lutheri, in Bibliotheca aedis Sti Olai servatis, cognovimus. Interea urbs gravissima pestilentia et incendio (a. 1532.) vastata, et universa provincia a 1560 a Rossis, duce Joanne Basilide II. in currentibus vexata est, quibus societas aut fraternitas Capitulum Nigrorum, a. 1344. instituta, fortissime restitit, eosque proelio prope ipsam Revaliam devicit. Sed cum Rossi gravius bellum parent, equitum autem Livonorum ordo et internis dissidiis et a vicinis infectis ita afflictus esset, ut primum Polonos, deinde Danos, denique Ferdinandum I. Imperatorem, auxilia et pecunias, quamvis frustra, rogaret, Revalenses, praesidium ejus infirmum fore putantes, aliunde auxilium sibi quaerere coeperunt. Neque enim ipsi, vita luxuriosa enervati, libertatem suam armis tueri poterant. Itaque ad regem Suecorum, Ericum XIV. confugerunt, qui a. 1561. urbem et provinciam in fidem recipit, sese tam ab hostium impetu eam defensurum, quam antiqua ejus jura et privilegia servaturum esse despondens. Eodem fere tempore (c. a 1580.) etiam pharmacopolia majus et minus, quae nunc dicuntur, condita esse videntur, et illud quidem senatus urbanus possidebat, et in quinos annos locabat. Unus ex majoribus ejus, qui hanc officinam nunc tenet, idem etiam nomen ferens, eam conducere solebat, postea autem, cum domus officinae temporis longitudine ruinosam

facta esset, eam emit, cujus deinde possessio stirpi ipsius hucusque remansit. — Esthonia cum Suecorum regno se subjecisset, initio tamen non poterat stabili et prospera pace frui; neque enim universa provincia Suecis parebat, sed partim a Rossis, partim a Livonis, qui ipsi Polonorum tributarii erant, possidebatur, neque Revalia, etsi Suecorum praesidio firmata, magis quam agri perpetuis turbis vacabat. —

Ineunte tandem XVII^{mo} saeculo Gustavus Adolphus, Sueciae regnum adeptus, majoremque apud caeteras Europae republicas auctoritatem consecutus, Revaliae quoque et Esthoniae saluti prospicere potuit; mercaturam multis sapienter institutis auxit, litterarum artiumque studium Gymnasio condito (a 1631) juvit, rerumque ecclesiasticarum in provincia ordinem reduxit, omnium recensio a. 1627, habita, et annuò sacerdotum rusticorum conventu Revaliae instituto, qui nunc etiam celebratur, et cui rerum sacrarum cura permissa est. Sed ne haec quidem prospera fortuna diurna fuit. Cum enim jam sub finem hujus saeculi Rossorum potestas Esthoniae gravis facta esset, a. 1710. Petrus, magnus eorum Imperator, Revaliam oppugnavit, complures tum per annos pestilentiae depopulationes perpessam, eamque post obsidionem 6 hebdomadam urbanis pesti simul afflictis atrocissimam, deditione cepit. Sapientem huic principem non fugit quantum exiguus litoris Baltici tractus valeret, ad immensi imperii sui commercium excitandum et augendum. Ut igitur in universum maximae sibi curae habebat, has provincias ditioni suae recens subjectas, earumque mercaturam et antiquorum privilegiorum confirmatione, et placidissimae pacis praesidio adjuvabat, ita Revaliam egregio portu tam mercatoriis quam longis navibus apto ornavit, qui quasi sub ipsius oculis extractus est, cum annis 1711 et 1714 Revaliam inviseret, eodemque tempore aediculam

illam in horto Vallis Catharinae adhuc servatam, et paulo post ipsam praeclaram villam cum amoenissimis hortis aedificari jussit. Alia quoque per multa animi paterni documenta edidit, quin etiam tributa ab Esthoniae incolis solvenda minuit, eosque novis privilegiis donavit. Ita factum est, ut Revalia brevi ad res tam florentes perveniret, quales nunquam ante fuerant, eaeque a Successoribus quoque Petri Magni servatae sunt. Imprimis Catharina II., sapientissima Imperatrix, quae nihil magis curabat, quam ut universum imperium et opulentia et litterarum cultu propagato beatum redderet, Esthoniae et Revaliam praecipuis beneficiis auxit. Ne alia commemorem, a. 1783 ab ea Collegium providentiae communis (der allgemeinen Fürsorge) institutum est, quod universum totius provinciae salutem amplecteretur, hodie vero aegrotis tantum et inopibus prospicit. A. 1790. Sueci quidem navibus advecti Revaliam oppugnare conati, sed classi victa et dissipata, recedere coacti sunt.

Prospero igitur Rossicorum Principum sceptro Revalia post tot calamitates bellorum, famis, pestilentiae, incendiorum, laetam et felicem sortem debuit, qua ex illo tempore fruebatur, ita ut industrios cives amplum ex mercatura praemium sequeretur, et litterarum scholae animum eorum excolerent. Et quamvis Revalensium mercatura, latissime ante propagata, novissimis decenniis a Petropolitans maxime occupata decreverit, opes tamen minus florentes, non impedierunt quo minus litterarum studia et liberalium artium cultus laetius etiam florerent, sub mitissimo Alexandri I. imperio, qui Gymnasium Revalense renovandum, scholasque complures, in quibus litterarum elementa docerentur, institendas curavit. Ptocheum, a nomine ejus appellatum, tanquam monumentum primi ejus adventus in hanc urbem (a. 1804.) conditum est. Sic et Nicolaus I. quoties Revaliam invisere

dignatus est, toties novis et utilibus quibusdam institutis specimina reliquit clementissimi animi, quo Revaliae saluti consuleret. A. 1827. quo primum urbem inspexit, nosocomium militum classicorum cum pedestrium copiarum nosocomio nonjunxit; nosocomium vero Providentiae communis auxit, addita nova sectione ad morbos syphiliticos tractandos, qua re luem Revalia etiam dissipatam coercere contigit. Pari sapientia anno 1831. egregia instituta decrevit, quibus Cholerae morbo, Revalensibus quoque exitium minitanti, obviam itum est. Scholas amplificavit et correxit (novo praeceptore Rossicae linguae in schola equestri et episcopali constituto), mercaturam, portorio minuto, adjuvit, urbemque ab hostili impetu, munitionibus auctis et in meliorem statum redactis, tutatus est. Revaliae cives tantorum beneficiorum, quae a clementissimo atque justissimo Principe acceperunt, semper memores erunt! —

CAP. III. De coeli natura.

Propria loci alicujus natura coeli, quod attinet ad calorem et frigus, ad siccitatem et humorem, vicesque tempestatum, non solum e geographica positione, inprimis e latitudine, loci pendet, sed simul multis proprietatibus ejus temperatur. Cum geographica Revaliae positio a nobis jam significata sit, peculiarem nunc hujus loci naturam considerabimus, quatenus ad coeli temperiem gravius aliquod momentum habet. Exoptatum profecto cuivis lectori additamentum erunt tabulae, tempestatis observationes continentes, impertitae nobis a Viro illustrissimo ab Adlerberg, praefecto militum, cujus eximia in hac re adhibita diligentia et cura profecto digna est, quae publice agnoscatur ac

Anni et menses.	depress.	Venti.	Tempestas.
1850. Septem-ber.	29" 1"	SO., O., NO., interdum N. et NW.	Aëre plerumque nubilo, humido et frigido.
October.	28" 6"	SW. et NW.	Coelo nubilo, pluvio et frigido.
November.	28" 11"	SW., S. praecipue SO. continuus.	Aëre obscuro, humido, frigido.
December.	28" 6"	SO., SW., NW. et NO.	Coelo nubilo et pluvio.
1851. Januarius.	28" 10"	SW., NW., SO., O. NO.	Coelo variabili.
Februarius.	28" 10"	NW., N., NO., et lenis SO.	Coelo nubilo, frigore modico.
Martius.	28" 10"	NO., SO., et S. SW. vehemens.	Coelo plerumque sereno, frigore modico. Coelo obscuro, nive liquescente.
Aprilis.	29" 0"	NW., et NO., SW., S. et SO.	Coelo plerumque sereno, interdum nubilo, nive liquescente.
Majus.	29"	SW., W., NW. et NO.	Coelo sereno, interdum nubeculis inductis.
Junius.	29" 1"	NW. et NO.	Coelo sereno.
Julius.	29" 1"	NW. plerumque.	Coelo sereno, aestuoso.
Augustus.	29"	NO.	Coelo sereno, interdum nubilo.

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.	
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.			
1850. Septem-ber.	1	7° +	8° +	7° +			29" 5'''	idem	idem				SO., O., NO., interdum N. et NW.	Aëre plerumque nubilo, humido et frigido.
	11	5 +	12 +	10 +	16° +	5° +	29 7	idem	29" 6'''	29" 10'''	29" 1'''			
	30	3 +	5 +	3½ +			29 5	idem	29 6½					
October.	1	3° -	4° +	3° +			29" 6½'''	29" 7'''	idem				SW. et NW.	Coelo nubilo, pluvio et frigido.
	15	1 +	4 +	0	13½° +	0°	28 10	idem	idem	29" 7'''	28" 6'''			
	30	4 +	5 +	3 +			29 6	29 5	29 4					
November.	1	5° +	5° +	5° +			29" 4'''	29" 6'''	29" 7'''				SW., S. praeecipue SO. continuus.	Aëre obscuro, humido, frigido.
	15	2 -	2 +	2 -	5° +	5° -	30 1	idem	30	30" 2'''	28" 11'''			
	30	3 +	3 +	3 +			28 11	29 11	29 1					
December.	1	2° +	2° -	3° -			29" 2'''	29" 4'''	29" 6'''				SO., SW., NW. et NO.	Coelo nubilo et pluvio.
	15	1 +	½ -	0	1° +	9° -	28 11	29 2	29	30" 2	28" 6'''			
	30	9 -	5 -	7 -			29	28 9	28 11					
1851. Januarius.	1	11½° -	10° -	6° -			29" 3'''	idem	28" 8'''				SW., NW., SO., O. NO.	Coelo variabili.
	15	5 -	4 -	3 -	2° +	12° -	29	28" 11'''	idem	29" 11'''	28" 10'''			
	30	2 +	2 +	1 -			29 3	29 4	idem					
Februa-rius.	1	3½° -	3° -	3½° -			29" 7'''	29" 9'''	29" 10'''				NW., N., NO., et lenis SO.	Coelo nubilo, frigore modico.
	15	3 -	2 +	1 -	2° +	10° -	29 ½	29	28 10	29" 10'''	28" 10'''			
	28	12½ -	8 -	12 -			29 8	idem	idem					
Martius.	1	14° -	9° -	11½° -			29" 8'''	29" 6'''	idem				NO., SO., et S. SW. vehemens.	Coelo plerumque sereno, frigore modico. Coelo obscuro, nive liquescente.
	15	5 -	3 +	2 -	14° +	9° -	30	idem	idem	30" ½'''	28" 10'''			
	30	7 +	14 +	7 +			29 9	idem	idem					
Aprilis.	1	5° +	8° +	2° +			29" 4'''	29" 3'''	idem				NW., et NO., SW., S. et SO.	Coelo plerumque sereno, interdum nubilo, nive liquescente.
	15	2 +	10 +	4 +	16 +	4° +	29 6	29 5	29" 4'''	29" 7'''	29" 0'''			
	30	4½ +	4 +	1 +			29 2	29	28 11½					
Majus.	1	1° +	4° +	0°			29" "	29" 1'''	idem				SW., W., NW. et NO.	Coelo sereno, interdum nubeculis inductis.
	15	6 +	10 +	5 +	18° +	4° +	29 4	idem	idem	29" 10'''	29"			
	30	8½ +	9 +	6 +			29 1	idem	idem					
Junius.	1	8° +	11° +	8° +			29" 1'''	idem	idem				NW. et NO.	Coelo sereno.
	15	15° +	18 +	14 +	21° +	11° +	29 3½	29" 4'''	idem	29" 9'''	29" 1'''			
	30	13½° +	17 +	12 +			29 5	idem	idem					
Julius.	1	13½° +	18° +	13° +			29" 4'''	idem	idem				NW. plerumque.	Coelo sereno, aestuoso.
	15	11½ +	16 +	11 +	22° +	16° +	29 8	idem	idem	29" 8'''	29" 1'''			
	30	11½ +	16 +	11 +			29 5	29" 4'''	idem					
Augustus.	1	10° +	13° +	11° +			29" 4'''	idem	idem				NO.	Coelo sereno, interdum nubilo.
	15	10 +	12 +	11 +	16° +	10° +	29 5	idem	idem	29" 8'''	29"			
	30	9 +	11 +	10 +			29 4	idem	idem					

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.		
1831. Septem-ber.	1	7° +	10° +	8° +			29" 7"	idem	idem			NO., SW.	Coelo sereno. Coelo variabili.
	11	7 +	8 +	6 +	12° +	2° +	29 8	idem	idem	29" 10"	29" 1"		
	30	8 +	8 +	6 +			28 11	29" 1"	29" 3"				
October.	1	2° +	2 ¹ / ₂ ° +	0°			29" 5"	29" 7"	idem			S., SO. et SW.	Coelo tum sereno, tum obscuro cum pluviis.
	15	5 +	9 +	8 +	9° +	0°	29 8	idem	idem	29" 9"	29" 1"		
	30	1 +	3 +	1 +			29 4	idem	idem				
November.	1	1 ⁰ / ₂ ° -	0°	1° -			29" 1"	idem	28" 11"			SO., O., S., NW., N.	Coelum variabile, ple- rumque frigidum cum pluviis et nive.
	15	2 -	2 -	2 -	2° +	8° -	29 10	idem	idem	29" 8"	28" 6"		
	30	5 -	5 -	0			29 7	idem	29 5				
December.	1	1° +	0°	2° +			29" 4"	29" 3"	29" 2"			SO.	Initio nives liques- cunt, deinde coelum serenum cum frigore.
	15	5 -	4 ¹ / ₂ -	2 -	3° +	16° -	29 10	29 8	29 7	30"	29" 1"		
	30	9 ¹ / ₂ -	9 -	9 -			29 5	29 4	29 6				
1832. Januarius.	1	9 ¹ / ₂ ° -	9° -	10° -			29" 5"	29" 7"	29" 6"			SW. et NW. vehe- mentes, excute men- se O.	Nives liquescunt, aëre obscuro, interdum sereno.
	15	2 -	1 ¹ / ₂ +	1 +	2° +	9° -	29 3	idem	29 4	30" 1"	28" 6"		
	30	0	1 ¹ / ₂ -	4 -			29 10	29 11	30				
Februa-rius.	1	8° -	3 ¹ / ₂ ° -	3° -			30" "	29" 11"	29" 10"			S., SW., W.; SO. et O.	Aëre frigido, tum sereno, tum nubilo.
	15	3 -	0	1 -	2° +	4° -	29 11	idem	idem	29" 11"	29" 4"		
	28	0	2 +	1 ¹ / ₂ +			29 7	29 9	29 10				
Martius.	1	1° -	4° +	2 ¹ / ₂ ° -			29" 10"	idem	idem			SW., W. et NW.	Coelo obscuro nives solvuntur; deinde coelum serenum.
	15	2 -	1 ¹ / ₂ -	3 -	10° +	3° -	28 9	28" 10"	29" 1"	29" 10"	28" 7"		
	30	1 ¹ / ₄ -	8 +	0			29 10	idem	idem				
Aprilis.	1	2° +	8° +	1° +			29" 8"	idem	29" 9"			W., NW. et NO. vehementes.	Coelum initio sere- num, deinde nubi- lum, nive liquescente.
	15	1 +	4 +	1 ¹ / ₂ +	12 +	2 ¹ / ₂ ° +	29 3 ¹ / ₂	29" 2"	29 1 ¹ / ₂	29" 10"	28" 9"		
	30	4 +	6 +	1 ¹ / ₂ +			29 1	29 3	29 4				
Majus.	1	2° +	8° +	4° +			29" 4"	idem	29" 3"			NO., N., NW.	Coelum tum serenum, tum nubilum. c. tem- pestatibus fulmineis.
	15	4 +	8 ¹ / ₂ +	3 +	21° +	3° +	29 3	idem	29 4	29" 8"	29"		
	30	8 +	12 ¹ / ₂ +	5 +			29 6	idem	idem				
Junius.	1	8 ¹ / ₂ ° +	11 ¹ / ₂ ° +	6° +			29" 6"	idem	idem			NW. et NO.	Coelum plerumque sereno, aëre calido.
	15	11° +	13 ¹ / ₂ +	8 +	21° +	8° +	29 2	idem	29" 3"	29" 6"	28" 10 ¹ / ₂ "		
	30	12° +	14 +	11 +			29 4	29" 3"	29 4				
Julius.	1	12 ¹ / ₂ ° +	16° +	12° +			29" 4"	29" 5"	29" 6"			Initio W. et NW., deinde N. et NO.	Aëre sudo et calido.
	15	12 ¹ / ₂ +	20 +	13 +	20° +	9° +	29 5	29 5	29 6	29" 10"	28" 10"		
	30	11 +	17 ¹ / ₂ +	11 +			29 9	29 10	idem				
Augustus.	1	11° +	17° +	11 ¹ / ₂ ° +			29" 7"	idem	29" 6"			SW., NO.	Coelo obscuro et pluvio.
	15	9 +	15 +	11 +	17° +	6 ¹ / ₂ ° +	29 8	29" 7"	29 5	29" 7"	28" 11"		
	30	10 +	15 +	9 +			29 5	29 5	29 4				

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.		
1832. Septem-ber.	1	7 ⁰ +	12 ⁰ +	10 ⁰ +			29" 4"	29" 4"	29" 3 ¹ / ₂ "			SW. et NW.	Aère miti et sudo, interdum nubilo cum pluviis.
	15	7 +	11 +	8 +	12 ⁰ +	3 ⁰ +	29 6	29 6	29 7	29" 9"	29"		
	30	5 +	8 +	7 +			29 6	29 4	29 1				
October.	1	7 ⁰ +	6 ⁰ +	6 ⁰ +			28" 8"	28" 3 ¹ / ₂ "	28" 7"			W. NO., SO.	Cum pluviis. Coelo sereno.
	15	2 ¹ / ₂ +	6 ¹ / ₂ +	5 +	8 ⁰ +	2 ¹ / ₂ —	29 8	29 8	29 9	30"	28" 3 ¹ / ₂ "		
	30	5 ¹ / ₂ —	1 —	4 ¹ / ₂ —			30	30	29 11				
November.	1	3 ⁰ —	1 ¹ / ₂ —	1 ⁰ —			29" 10"	29" 9"	29" 9"			SW., W., SO.	Aère miti, pluvio, coelo nubilo et frigidulo.
	15	10 —	6 —	10 —	3 ⁰ +	10 ⁰ —	30 4	30 4	30 3	30" 4"	29" 1"		
	30	5 —	5 —	7 —			29 9	idem	idem				
December.	1	9 ¹ / ₂ —	10 ⁰ —	8 ⁰ —			29" 10"	29" 10"	29" 11"			SW., W., NO., SO.	Coelo nubilo et miti, nivoso.
	15	1 +	1 +	1 +	1 ¹ / ₂ +	10 ⁰ —	29 6	29 7	29 7	30" 2"	28" 9"		
	30	0	0	1 —			29 6	29 6	29 6				
1835. Januarius.	1	1 ¹ / ₂ —	1 ⁰ —	0 ⁰ —			29" 5"	29" 4"	29" 2"			S., SW. et NW., SO. et O.	Coelo nubilo, frigore modico; deinde aère sereno et miti.
	15	1 ¹ / ₂ —	1 —	2 —	1 ¹ / ₂ +	14 ⁰ —	29 3	29 2 ¹ / ₂	29 1	29" 10"	28" 8 ¹ / ₂ "		
	30	0	1 —	0			28 11	28 6 ¹ / ₂	28 8 ¹ / ₂				
Februa-rius.	1	1 ¹ / ₄ —	1 ⁰ +	1 ¹ / ₂ —			29" 2"	29" 3"	29" 4"			S. et SO., interdum N. et NO.	Coelo sereno, interdum nubeculis inductis.
	15	7 —	3 —	2 —	5 ⁰ +	9 ⁰ —	29 3	29 3	29 3	30" 1"	29" 1"		
	28	11 —	9 —	10 —			29 6	idem	idem				
Martius.	1	13 ⁰ —	6 ⁰ —	12 ⁰ —			29" 7"	29" 8"	29" 9"			SW. et NW., SO., O., NO.	Coelo tum obscuro tum sereno.
	15	12 —	0	3 —	5 ⁰ +	8 ⁰ —	29 6	29 6	29 7	30"	29"		
	30	1 ¹ / ₂ —	5 +	1 ¹ / ₂ —			29 1	idem	idem				
Aprilis.	1	1 ⁰ +	2 ¹ / ₂ +	1 ⁰ +			29" 1"	29" 2"	idem			SW., W., NO. et SO. interdum NW.	Aère miti, pluvio coelo sereno, noctes glaciales.
	15	1 —	0	2 —	16 ¹ / ₂ +	1 ⁰ —	29 4	idem	idem	29" 9"	29" 1"		
	30	5 +	12 +	8 +			29 4	idem	idem				
Majus.	1	8 ⁰ +	15 ⁰ +	9 ⁰ +			29" 4"	idem	29" 3"			SW. et W. NO. NW.	Coelo sereno, aère calido.
	15	6 ¹ / ₂ +	10 +	5 +	18 ⁰ +	7 ⁰ +	29 2	idem	29 3	29" 10"	29"		
	30	7 +	7 +	7 +			29	idem	29 1 ¹ / ₂				
Junius.	1	8 ¹ / ₂ +	15 ⁰ +	10 ⁰ +			29" "	idem	idem			SO., SW., NO.	Coelo sereno, interdum nubilo cum tempestatibus fulmineis.
	15	12 ¹ / ₂ +	21 +	15 +	23 ⁰ +	11 ⁰ +	29 8	idem	29" 7"	29" 8"	29"		
	30	9 ⁰ +	9 +	9 +			29 2	idem	29 3				
Julius.	1	8 ¹ / ₂ +	13 ⁰ +	10 ⁰ +			29" 2 ¹ / ₂ "	29" 2"	29" 3"			NW., N., NO.	Coelo tum sereno, tum obscuro, plerumque frigidulo.
	15	11 +	15 +	11 +	17 ⁰ +	6 ¹ / ₂ +	29 3	29 4	idem	29" 7"	28" 8"		
	30	8 +	15 +	10 +			29 2	idem	idem				
Augustus.	1	9 ¹ / ₂ +	12 ⁰ +	10 ⁰ +			29" 2"	idem	29" 1"			SO., S., SW., NO. et NW.	Aère variabili sed calido.
	15	6 +	8 ¹ / ₂ +	7 +	18 ¹ / ₂ +	8 ⁰ +	29 2	29" 1"	29	29" 10"	28" 9"		
	30	11 +	18 +	12 +			29 8	29 7 ¹ / ₂	29 7				

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.		
1833. Septem-ber.	1	9 ⁰ +	19 ⁰ +	11 ⁰ +			29" 6"	29" 6"	29" 6"			SO., O., NO., SW. et NW.	Coelo variabili. Saepe nubilo.
	15	7 +	9 +	7 +	19 ⁰ +	6 $\frac{1}{2}$ ⁰ +	29 7 $\frac{1}{2}$ "	29 7	29	29" 11"	29" 4"		
	30	4 +	9 +	4 +			29 7	idem	29				
October.	1	5 ⁰ +	9 ⁰ +	6 $\frac{1}{2}$ ⁰ +			29" 2"	idem	29" 1"			SO., S., SW., W., NW.	Coelo obscuro, frigidulo, cum pluviiis
	15	6 +	8 +	4 +	9 ⁰ +	1 $\frac{0}{2}$ +	29 9	29" 10"	idem	29" 10"	28" 2"		
	30	1 +	2 -	0			29 7	idem	29 8				
November.	1	4 ⁰ +	5 ⁰ +	5 ⁰ +			29" 7"	29" 7"	29" 8"			SW., W., NW., SO O.	Coelo tum obscuro tum sereno.
	15	1 +	1 $\frac{1}{2}$ +	0	5 ⁰ +	5 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	29 1	29 3	29 5	29" 9"	28" 2"		
	30	2 -	3 -	5 +			28 8	28 10	28 11				
December.	1	8 ⁰ -	8 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	6 ⁰ -			29	29	29" 1"			NW., N., NO., ex- cunte mense SO.	Cum frigore et nive. Coelo sereno et fri- gido.
	15	6 -	6 -	6 -	0 ⁰	16 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	29" 3"	29" 4"	29 5	30"	28" 3 $\frac{1}{2}$ "		
	30	18 -	15 $\frac{1}{2}$ -	18 -			29 11	29 11	30				
1834. Januarius.	1	19 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	17 ⁰ -	19 ⁰ -			29" 10"	29" 10"	29" 9"			SW., NO., O. et SO	Aëre obscuro et miti. Majore cum frigore coelo interdum nu- bilo.
	15	19 -	12 -	14 -	1 ⁰ +	17 ⁰ -	29 2	29 1	29 1	29" 11"	28" 6"		
	30	2 -	1 -	3 -			29 6	29 6	29 6				
Februa-rius.	1	11 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	6 ⁰ -	10 ⁰ -			29" 7"	29" 7"	29" 7"			SW. vehemens. NW. et NO.	Coelo miti, pluvio. Tempestate miti sed procellosa.
	15	2 -	1 +	2 $\frac{1}{2}$ +	3 ⁰ +	6 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	29 4	29 2	29 11	29" 11"	28" 8"		
	28	5 -	2 -	5 -			29 8	29 9	29 10				
Martius.	1	5 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	1 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	9 ⁰ -			29" 10"	29" 10 $\frac{1}{2}$ "	29" 10 $\frac{1}{2}$ "			SW., SO. O. et NO.	Coelo obscuro nives liquescent. Coelo sereno.
	15	4 -	1 +	3 -	5 ⁰ +	2 $\frac{1}{2}$ ⁰ -	29 4	29 4	29 4	29" 10 $\frac{1}{2}$ "	28" 8"		
	30	1 $\frac{1}{2}$ -	2 -	1 $\frac{1}{4}$ -			29 7	29 7	29 9				
Aprilis.	1	1 ⁰ -	5 ⁰ +	1 ⁰ +			29" 5"	idem	idem			SW., W., NW., SO.	Coelo tum obscuro et miti, tum sereno.
	15	1 -	6 +	4 -	15+	3 ⁰ +	29 2	idem	idem	29" 8"	28" 10"		
	30	3 +	10 +	4 +			29 5	idem	idem				
Majus.	1	5 ⁰ +	12 ⁰ +	4 ⁰ +			29" 3"	29" 1"	29" 1"			SO., SW., W., NW.	Coelo tum sereno, tum nubilo cum tem- pestatibus fulmineis.
	15	6 +	8 +	4 +	21 ⁰ +	4 ⁰ +	29 2	29 $\frac{1}{2}$	29 1	29" 6"	29"		
	30	14 +	17 +	12 +			29 3	29 3	29 2				
Junius.	1	9 $\frac{1}{2}$ ⁰ +	11 ⁰ +	9 ⁰ +			29" 2"	idem	idem			SW., W., NW., SO.	Coelo nubilo et miti. Aëre sudo.
	15	12 ⁰ +	14 +	11 +	22 ⁰ +	10 ⁰ +	29 3	29" 2"	29" 1"	29" 8"	29"		
	30	12 ⁰ +	16 +	11 +			29 4	29 4	29 3				
Julius.	1	12 ⁰ +	17 ⁰ +	14 ⁰ +			29" 7"	idem	idem			NW., SO et SW.	Aëre sudo, semper calido.
	15	15 +	24 $\frac{1}{2}$ +	18 +	25 ⁰ +	14 ⁰ +	29 7	idem	idem	29" 8"	29" 1"		
	30	11 +	22 $\frac{1}{2}$ +	15 +			29 4	idem	29" 5"				
Augustus.	1	14 ⁰ +	18 ⁰ +	16 ⁰ +			29" 7"	idem	idem			SO. SW.	Aëre sudo, calido, coelo obscuro, inter- dum pluvio.
	15	11 +	23 $\frac{1}{2}$ +	13 +	24 ⁰ +	13 $\frac{1}{2}$ ⁰ +	29 6	idem	idem	29" 8"	29" 4"		
	30	10 +	14 +	10 +			29 4	29" 6"	29" 6 $\frac{1}{2}$ "				

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.		
1854. Septem-ber.	1	7°+	12°+	5°+			29" 7 ¹ / ₂	29" 8 ¹ / ₂	29" 8 ¹ / ₂			NW. vehemens SW. et NO.	Tempestas plerumque aspera et humida.
	15	4°+	6°+	4°+	15°+	3°+	29 2	29 3	29 3	29" 9 ¹ / ₂	28" 11 ¹ / ₂		
	30	3 ¹ / ₂ °+	6 ¹ / ₂ °+	3°+			29 3	29 3	29 4				
October.	1	2°+	6 ¹ / ₂ °+	6°+			29" 3 ¹ / ₂	29" 1 ¹ / ₂	29" 2 ¹ / ₂			SW., W., NW., SO. O., NO.	Coelo nubilo et pluvio. Cum frigore et nive.
	15	1 ¹ / ₂ °+	4°+	3°+	12°+	3 ¹ / ₂ °-	29 1	29 2 ¹ / ₂	29 3	26" 6 ¹ / ₂	28" 1 ¹ / ₂		
	30	2°+	2°-	3°-			29 1	29 2	29 3				
November.	1	3°-	2 ¹ / ₂ °-	3°-			29" 6 ¹ / ₂	idem	idem			S., SW. et NW. satis vehementes.	Coelo plerumque obscuro, cum pluviiis, nebulis, nive.
	15	1°+	2°+	2°+	3 ¹ / ₂ °+	5°-	28 11	28" 10 ¹ / ₂	28" 9 ¹ / ₂	29" 8 ¹ / ₂	28" 6 ¹ / ₂		
	30	1°-	1°-	3°-			29 7	29 8	29 3				
December.	1	1°+	1 ¹ / ₂ °+	1 ¹ / ₂ °+			29" 8 ¹ / ₂	idem	idem			SW. et NW.	Coelo obscuro, nebuloso, cum frigore modico.
	15	5°-	4°-	0°	2°+	7°-	29 8	idem	idem	29" 9 ¹ / ₂	28" 3 ¹ / ₂		
	30	2°-	2 ¹ / ₂ °-	5°-			28 5	28" 6 ¹ / ₂	28" 7 ¹ / ₂				
1855. Januarius.	1	6°-	3 ¹ / ₂ °-	4 ¹ / ₂ °-			29" 3 ¹ / ₂	29" 4 ¹ / ₂	29" 6 ¹ / ₂			SW. vehemens. S. et NW.	Coelo miti, nebuloso interdum severo.
	15	5°-	4°-	2°-	2 ¹ / ₂ °+	5°-	29 2	29 2	29 1 ¹ / ₂	29" 9 ¹ / ₂	28" 3 ¹ / ₂		
	30	1°-	1 ¹ / ₂ °+	0°			29 5	29 5	29 3				
Februa-rius.	1	0°	1°-	3 ¹ / ₂ °-			28" 11 ¹ / ₂	28" 10 ¹ / ₂	28" 10 ¹ / ₂			SO. et SW.	Coelo plerumque obscuro nives solvuntur.
	15	0°	1°+	1°+	3 ¹ / ₂ °+	8°-	28 6	28 9	28 9	29" 7 ¹ / ₂	28" 2 ¹ / ₂		
	28	0°	1 ¹ / ₂ °+	1 ¹ / ₂ °+			29 7	idem	idem				
Martius.	1	1 ¹ / ₂ °+	2°+	2°+			29" 6 ¹ / ₂	29" 5 ¹ / ₂	29" 4 ¹ / ₂			Initio SO. et NO., deinde SW. et NW.	Aëre obscuro deinde sereno, nives solvuntur.
	15	3 ¹ / ₂ °-	1 ¹ / ₂ °-	6°-	6°+	5°-	28 8	28 10	29	29" 9 ¹ / ₂	28"		
	30	1 ¹ / ₄ °-	4°+	1°-			28 2	28 3	28 4				
Aprilis.	1	1 ¹ / ₂ °-	2°+	1°+			29" 1 ¹ / ₂	29"	29"			SW., NW., SO., NO.	Coelo variabili, nives liquescunt.
	15	0°	8°+	6°+	16°+	1 ¹ / ₂ °-	29 3	idem	idem	29" 7 ¹ / ₂	28" 10 ¹ / ₂		
	30	7°+	12°+	6°+			29 1	29	29				
Majus.	1	6°+	11°+	6°+			28" 10 ¹ / ₂	28" 10 ¹ / ₂	28" 9 ¹ / ₂			W., NW. NO.	Initio procellae nivosaë, deinde aër sudus et calidus.
	15	3°+	7°+	4 ¹ / ₂ °+	19 ¹ / ₂ °+	1°+	29 2	29 2	29 1	29" 9 ¹ / ₂	28" 10 ¹ / ₂		
	30	9 ¹ / ₂ °+	14°+	11°+			29 9	29 8	29 7				
Junius.	1	7°+	14°+	8°+			29" 7 ¹ / ₂	29" 7 ¹ / ₂	29" 5 ¹ / ₂			SW., W., NW.	Coelum serenum, interdum nubeculis inductis.
	15	11°+	16°+	12°+	24°+	10°+	29 2	29 3	29 4	29" 7 ¹ / ₂	29" 1 ¹ / ₂		
	30	10°+	12 ¹ / ₂ °+	8 ¹ / ₂ °+			29 2	idem	idem				
Julius.	1	10°+	16°+	11°+			29" 3 ¹ / ₂	idem	idem			SW., W., NW.	Coelo tum sereno, tum obscuro et pluvio.
	15	12°+	16°+	11°+	23°+	11°+	29 5	29" 4 ¹ / ₂	29" 4 ¹ / ₂	29" 8 ¹ / ₂	28" 9 ¹ / ₂		
	30	8°+	14°+	11°+			29 3	idem	idem				
Augustus.	1	10°+	18°+	12°+			29" 3 ¹ / ₂	idem	idem			SW., W., NW., NO. et SO.	Coelo plerumque sereno.
	15	8 ¹ / ₂ °+	13°+	10°+	18°+	9°+	29 6	idem	idem	29" 8 ¹ / ₂	29" 3 ¹ / ₂		
	30	5°+	11 ¹ / ₂ °+	7°+			29 5	idem	idem				

Anni et menses.	Dies.	STATUS THERMOMETRI.					STATUS BAROMETRI.					Venti.	Tempestas.		
		mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.	mane.	meridie	vesperi.	celsiss.	depress.				
1855. Septem- ber.	1	5°+	15°+	9°+			29" 5"	29" 7"	29" 7"						
	11	9°+	11°+	7°+	16°+	5°+	29 5	29 5	29 5	29" 8"	28" 10"			Tum SO., tum SW. vehementiores vel leniores.	Tempestas variabilis, meridie serena, alias nebulosa et pluvia.
	30	4°+	7°+	7°+			28 10	28 10	28 10						
October.	1	4°+	8 $\frac{1}{2}$ °+	6°+			28" 11"	28" 11"	28" 10"						
	15	2°+	6 $\frac{1}{2}$ °+	2°+	8 $\frac{1}{2}$ °+	3°-	29 6	29 6	29 6	29" 10 $\frac{1}{2}$ "	28" 7"			Euronatus vel SW., interdum NW. et NO. vehementes.	Initio aer frigidus, et humidus, deinde nives et acre frigus.
	30	5°-	6°-	8°-			29 6	29 6	29 6						
November.	1	7°-	2°-	0°			29" 7"	29" 5"	29" 4"						
	15	1°+	2°+	1°+	3 $\frac{1}{2}$ °+	9°-	29 3	29 2 $\frac{1}{2}$	29 2	29" 5"	28" 9"			Instio SW, et S., deinde NW. et NO., plerumque lenes.	Initio coelum nebulosum, frigidum, deinde nubilum e nive.
	30	0°	0°	1°+			29	28 11	28 11						
December.	1	2°-	3°-	1 $\frac{1}{2}$ °-			29" 2"	29" 3"	29" 3"						
	15	20 -	19 -	17 $\frac{1}{2}$ -	1°+	19°-	29 6	29 6	29 7	29" 9"	28" 8"			N., NO., O., SO. plerumque lenes.	Coelo plerumque sereno, frigidum, interdum procellae nivosae
	30	9 -	9 -	12 -			29 9	29 8	29 7						
1856. Januarius.	1	1 $\frac{1}{2}$ °+	1 $\frac{1}{2}$ °+	0°			28" 9"	28" 9"	28" 9"						
	15	1°+	1°+	1 $\frac{1}{4}$ °-	1°+	18°-	29 1	28 9	28 11	29" 8"	28" 4 $\frac{1}{2}$ "			W., SW. et S; vehementes.	Coelo plerumque nubilo cum pluvii, nive liquescente.
	30	2 -	0	3 -			28 8	28 7	28 7						
Februa- rius.	1	7°-	6°-	8°-			28" 11"	29" 1"	29" 2"						
	15	2 $\frac{1}{2}$ °-	1 $\frac{1}{2}$ °-	1 $\frac{1}{2}$ °-	3 $\frac{1}{2}$ °+	10°-	29 1	29 1	29 1	29" 6"	28" 8"			SW., S., SO., satis vehementes.	Initio coelum serenum et frigidum, deinde nubilum et pluv.
	28	2 $\frac{1}{2}$ °-	2°+	1°+			28 9	28 9	28 9						
Martius.	1	1°+	2°+	1°+			28" 10"	28" 10"	28" 10"						
	15	1 $\frac{1}{2}$ °+	6°+	1 $\frac{1}{2}$ °+	11°+	2°-	28 10	28 10	28 10	29" 8"	28" 5"			Initio SW., deinde SO. lenis.	Coelo sereno. Coelo miti cum nive et pluvii. Noctes glaciales.
	30	3°+	11°+	7°+			29 6	29 7	29 7						
Aprilis.	1	3°+	10°+	3°+			29" 8"	29" 8"	29" 7"						
	15	2°+	7°+	1°+	18 $\frac{1}{2}$ °+	2°+	29 1	29 2	29 2	29" 8"	28" 10"			Initio NW. et NO. asperi, tum lenis SO. denique N.	Coelum serenum, calidum, cum tempestatibus fulmineis, deinde frigidum.
	30	2°+	8°+	5°+			29 3	29 3	29 3						
Majus.	1	3°+	8°+	3 $\frac{1}{2}$ °+			29" 5"	29" 5"	29" 6"						
	15	4°+	10°+	5°+	18°+	5°+	29 8	29 8	29 8	29" 9"	29" 1 $\frac{1}{2}$ "			NW. et NO. asperi, raro SW.	Coelum serenum, sed asperum, mane et vesperi frigidum.
	30	8°+	16°+	10°+			29 5	29 6	29 6						
Junius.	1	12°+	17 $\frac{1}{2}$ °+	9°+			29" 6"	29" 5"	29" 4"						
	15	8°+	13°+	8°+	18°+	9°+	29 2	29 3	29 4	29" 6"	28" 9"			Initio SW. et W., deinde NW., N., NO. frigidi.	Initio pluviae, deinde coelum plerumque serenum.
	30	9°+	14°+	10°+			29 2	29 2	29 2						
Julius.	1	10°+	17 $\frac{1}{2}$ °+	11°+			29" 2"	29" 2"	29" 2"						
	15	11°+	15°+	10°+	22 $\frac{1}{2}$ °+	8°+	29 3	29 3	29 3	29" 5"	28" 8"			Initio SW., et W., deinde NW., et NO.	Coelum variabile plerumque mite, mane et vesperi frigidum.
	30	9°+	14°+	10°+			29 5	29 5	29 5						
Augustus.	1	7 $\frac{1}{2}$ °+	15°+	10°+			29" 4"	29" 4"	29" 4"						
	15	8°+	11°+	8°+	20°+	8°+	28 11	28 11	29	29" 8"	28" 10"			Tum W. et SW., tum NW. vehemens.	Coelo variabili, pluvio et aspero.
	30	8°+	8°+	8°+			29	29 2	29 5						
September	1	7°+	9°+	5°+	13°+	2°+	29" 9"	29" 10"	29" 10"	29" 10"	28" 9"				
	10	3°+	4°+	4°+			28 9	28 10	29 1					NW., NO.	Aer frigidus, humidus. noctes glaciales.

METRI.		Venti.	Tempestas.
A celsiss.	depress.		
S 9" 8"	28" 10"	Tum SO., tum SW. vehementiores vel leniores.	Tempestas variabilis, meridie serena, alias nebulosa et pluvia.
29" 10 $\frac{1}{2}$ "	28" 7"	Euronatus vel SW., interdum NW. et NO. vehementes.	Initio aer frigidus et humidus, deinde nives et acere frigidus.
N 9" 5"	28" 9"	Initio SW. et S., deinde NW. et NO., plerumque lenes.	Initio coelum nebulosum, frigidum, deinde nubium e. nive.
D 9" 9"	28" 8"	N., NO., O., SO. plerumque lenes.	Coelo plerumque sereno, frigidum, interdum procellae nivosae
9" 8"	28" 4 $\frac{1}{2}$ "	W., SW. et S., vehementes.	Coelo plerumque nubilo cum pluviis, nive liquescente.
9" 6"	28" 8"	SW., S., SO., satis vehementes.	Initio coelum serenum et frigidum, deinde nubium et pluv.
9" 8"	28" 5"	Initio SW., deinde SO. lenis.	Coelo sereno. Coelo miti cum nive et pluviis. Noctes glaciales.
9" 8"	28" 10"	Initio NW. et NO. asperi, tum lenis SO. denique N.	Coelum serenum, calidum, cum tempestatibus fulmineis, deinde frigidum.
9" 9"	29" 1 $\frac{1}{2}$ "	NW. et NO. asperi, raro SW.	Coelum serenum, sed asperum, mane et vespere frigidum.
29" 6"	28" 9"	Initio SW. et W., deinde NW., N., NO. frigidi.	Initio pluviae, deinde coelum plerumque serenum.
9" 5"	28" 8" +	Initio SW., et W., deinde NW., et NO.	Coelum variabile plerumque mite, mane et vespere frigidulum.
9" 8"	28" 10"	Tum W. et SW., tum NW. vehemens.	Coelo variabili, pluvio et aspero.
9" 10"	28" 9"	NW., NO.	Aer frigidus, humidus. noctes glaciales.

laudetur. Multos enim per annos coeli observationes ter quotidie continuavit, — aestivis mensibus sexta hora matutina, meridie, atque septima vespertina, hibernis autem octava hora matutina, meridie et vespere circa horam quintam factas. Nobis tamen satis visum est ex serie 26 annorum 6 postremos deligere; qui, ut sufficiunt ad conjecturam de coeli temperie faciendam, ita majoris nobis momenti sunt, cum plus quam priores valuerint ad sanitatis statum immutandum. Thermometrum ad has observationes adhibitum Reaumurianum, scala in 80 partes divisa erat, in urbe suspensum, idque in septentrionali, paulo ad Cannum vergenti aedium parte; barometrum scala ad Anglicam mensuram composita instructum erat, Ex diario nobis proposito cujusvis mensis primo, 15mo et 30mo die exacte descriptis, maxime elatum et maxime depressum thermometri barometrique statum secundum observationes horis meridianis institutas notavimus, ut tempestas vel subito vel paulatim mutata aliquo modo cognosceretur, nec non praevalentes in singulis mensibus ventos et tempestates ex singulorum dierum ratiocinatione constituimus. (cf. tabulas adjunctas.)

Quod primum ad aeris majorem minoremve calorem attinet, quivis Revaliae incola, experientia edoctus, scit in eunte hieme (Octobri et Novembri mensibus) et aestate (Aprili maxime mense) magnam coeli varietatem et inconstantiam huic loco propriam esse, tum etiam Decembrem mensem his novissimis praecipue annis, subita interdum accerrimi frigoris in solutiorem tempestatem mutatione insignem fuisse, Januarium autem et Februarium, sicut Junium et Julium satis constanti tempestate frui. Singularis praeterea temperiei mutatio variis unius diei temporibus observatur; velut paulo ante solis ortum aer, etiam si per noctem tepidus fuerit, subito refrigerescere solet, ita ut post ortum

demum solem calor paulatim rursus augeri incipiat. Ex ventis Revaliae Africus maxime et Zephyrus pluvias tempestatemque variabilem afferunt, subsidente simul barometro, Caurus vero frigus, procellas, asperam tempestatem, nives, saepissime etiam nebulas ex mari adducit. Euronoto, Euro et Aquilone flantibus barometrum assurgit, (quod de Euro et Aquilone constanter fere in tabulis notatum legitur) coelum serenum, frigus acre aut calor magnus existit, aër plerumque siccus. De ventorum immutatione, quomodo alter in alterum transire soleat, nihil certi constituere possumus, quamquam dierum tempora ad ventos quoque momentum habere cognovimus. Ventus interdum vehemens plerumque concidit sub vesperam, quo tempore saepius quoque mutatur; tamen etiam matutinis horis hoc accidere solet. —

Vapores (Höhenrauch dicti) denique annis 1826, 1831 et 1834 (quorum menses aestivi Junius, Julius et Augustus fervore et siccitate insignes erant) undique circumfusi, singulari mentione digni videntur, propterea quod iisdem annis non solum in urbe Revalia plures et maligniores morbi grassabantur, sed per agros quoque, simul lue pecuaria vexatos. Imprimis Typhus contagiosus maxime tum percrebruit, et Cholera morbus Revaliam invasit.

Sed quo melius cognoscatur, qualis coeli natura Revaliae variis anni temporibus sit, laud incommodum erit hoc loco singulorum mensium species et proprietates pertractare.

Januarius, medium in hieme locum tenens, acerrimo et continuo plerumque frigore insignis est, tota natura rigente, medio thermometri statu — 12 vel 15°. Saepe frigoris vis, initio maxime mensis, cum tempestate nivosa et vehementissimo Cauri et Zephyri flatu, barometro statum depressum obtinente, conjuncta est; ita ut nonnullis annis homines suo

divo commorati adeo frigore perirent. Interdum tamen temperies tantam immutationem patitur, ut thermometrum usque ad 0° surgat. Calendis sol oritur 8h 44" et occidit 3h 25". —

Februarius quoque gelidus plerumque (medius thermometri status — 5° vel 10°), sed praecipue initio serenior est. Solis radii paululum jam caloris afferunt. Exeunte mense tempestas existit mitior, simul vero inconstantior. Barometro depresso, et Zephyro, Africo vel Cauro flantibus, nives liquescunt, dum saepe omnia rursus pruinis teguntur. Aër frigidus cum humore, non raro crassus nebulis est. Ortus solis primo mensis die est 7h. 38", occasus 4h. 38".

Martii initium quamvis injucundum saepe sit frigore, asperis ab Occidente procellis, humidis nives pluviasque secum ferentibus, vel si illae remiserunt, densis nebulis, tamen extremi hujus mensis dies eo mitiore et sereniore coelo gaudent; meridiano praecipue tempore terra solis radiis recreatur et fovetur, noctes autem frigidae sunt. Thermometrum, si ex variis numeris mediam summam colligis, — 5° indicat, sed sub finem mensis ad + 7° vel + 10° extollitur. Solis ortus Calendis 6h 21" est occasus 5h 50", Aequinoctium vernale 8° hujus mensis die est.

Aprilis jure appellatur mensis variabilis. Frigus (medium statum — 5° obtinens) subito persaepe mutatur calore 10° — 15°, procellae nivosae et imbres aëre sudo et tepido; Caurus vel Africus flare solent. Nives evanescent, solutae non modo solis vi, sed pluvii quoque et coelo miti, nubibus nebulisque obscuro. Hoc mense, non raro etiam sub finem superioris, statio navium glacie liberatur. Natura etiam ex hiberno sopore ad vitam paulatim redit. In urbe cum plateas, ad pedis altitudinem tectas, purgare solcant, aër aedificiorum angustiis inclusus corrumpitur molestissima

exhalatione, ei simili, quae ex agris recens cultis existit; illa autem haud dubie non humo tantum soluta efficitur, sed multis quoque sub nive et glacie putrefactis quisquiliis. Mense exeunte aestum saepe ingravescentem tempestates cum tonitribus leniunt, quas vehementissimae grandines sequi solent. Calendis Aprilis sol oritur 4h 54'', occidit 7h 9''. —

Majus quoque plerumque initium habet asperum et frigidum; noctibus glacialibus et grandinibus natura laete reviviscens cohibetur, sed inde a medio rursus aër continuo tepet, thermometro plerumque + 10° vel 15° indicante; Africus et Caurus praevalent. Sol Calendis oritur 3h 37'', occidit 8h 20''. —

Junius, a quo demum aestas incipit, miti et calida tempestate, saepe gravi aestu, insignis est. Interdum nebula quaedam ex mari surgit, (vulgo flos maris appellata et pro indicio habita, aquas balneis aptas esse). Medius caloris gradus + 15° vel 20° est, ventus plerumque Africus vel Euronotus. Calendis oritur sol 2h 49'', occidit 9h 11'' dies solstitialis ad 18h 33'' extenditur. Omnia laete jam virescunt, horti floribus ornantur uberes fructus pollicentibus, nisi, quod quidem saepe accidit, vel continuis imbribus, vel nocturnis frigoribus, vel cruciarum voracitate pereant.

Julio coelum continuo fervidum, raro et in breve tempus fulmineis tempestatibus refrigeratur; media ejus temperies + 15 vel 20° est. Aestus maximam et paene intolerabilem molestiam affert urbanis, praecipue ob aërem murorum altitudine compressum, gasis insuper compluribus mixtum, quae in urbe raro ventis dissipantur, quamquam Eurus, Euronotus et Notus magnam interdum ad vehementiam augentur. Pluviae rarae sunt, dies autem sereni vaporibus (Höhenrauch) saepe obscurantur. Solis ortus Ca-

lendis 3h 7'', occasus 8h 56'' est. Sub finem mensis porra subcruda et legumina arte maturata, quamquam publicae disciplinae custodibus impediuntibus, saepe venundantur, ex quorum consumptione morbi gastrici exoriri solent. —

Augusti prius dimidium plerumque mite, nonnunquam fervidum est, noctibus praecipue tepidis et suavibus. Anni quidem currentis aestivi menses omnes tempestate frigida et procellosa insignes erant, ita ut Revalenses, cum usque ad medium Junium domicilia calefecissent, jam Augusto mense ignes in fornacibus vix extinctos denuo incendere coacti essent. Medius thermometri status + 8° vel 12° esse solet. Altera vero mensis pars aestatis finem indicat, coelo obscuro, nebuloso, pluvio, saepe grandinum vi cadente, noctibus plerisque jam frigidioribus, dies etiam calidos excipientibus. Ex ventis Africus et Caurus maxime obtinent. Fructus in hortis omnes percepti, maturiores quidem sunt quam mense praecedente, sed cum permulti in iis vescendis modum excedant, crebra existunt mala gastrica, ut dysenteriae, aliaque, ad quae augenda multum conferunt noctes frigidae humidaeque, quarum injuriis plebs imprimis exposita est. Calendis sol oritur 4h 12'' et occidit 7h 51''. —

Septembri ineunte tempestas interdum satis lenis et jucunda, graviore tamen inter dies noctesque discrimine. Anno currente, 8° hujus mensis die, nives et grandines cecidere, quibus tecta usque ad meridiem obruta stabant. Idibus peractis jam auctumni inconstantia et asperitas nobis ingruunt. Media coeli temperies + 5° vel 8°, atmosphaera plerumque nebulosa est vel nubibus obscura, quae, vehementissimo Africi et Cauri flatu adductae, largos imbres effundunt. Sub finem mensis noctes pleraeque acri gelu naturam subito enecant. Solis ortus Calendis 5h

27'', occasus 6h 27''. Aequinoctium auctumale 11^{mo} die h. m. est. —

October pluviosus, frigidus, ventosus est, thermometro inter + 5° et — 5° variante. Caurus et Aquilo saeviant, nivesque saepe adducunt atque aërem crassum et nebulosum. Sed tanta est coeli inconstantia, ut uno die interjecto aestatem hiems excipiat. Nihilominus tamquam res mirabilis commemoranda est tempestas cum fulgoribus et tonitru 13^{mo} Octobris die a. c. observata, quam splendidissima aurora borealis praecessit. — Sol oritur 6h 41' et occidit 5h 6''. —

November multo asperior Octobri, coelum continuo uvidum, obscurum, nebulosum et frigidum habere solet; si quando tempestas serena existit, thermometerum valde deprimitur cujus status medius paucis gradibus supra punctum gelationis vel infra illud est, Cauro, Borea et Aquilone vehementer flantibus. Solis ortus Calendis hujus mensis 7h 59'' et occasus 3h 45''. —

December etiam saepe variabilis, nonnunquam mitis, sed nebulosus, (ut annis 1819, 1823) vel certe non continuo frigidus est. Thermometerum e medio statu — 5° vel — 10°, haud raro supra gelationis punctum extollitur. Terra nivibus obruitur, magis magisque hieme ingruente, cujus tamen initio, his postremis praecipue annis, tempestas parum constans erat, sed modo omnia gelu torpebant, modo nives solvebantur. Venti frequentissimi Boreas, Caurus et Aquilo sunt. Calendis Decembribus sol oritur 8h 54'', et occidit 3h 2''; dies brumae 9^{mo} h. m. 5h 58'' durat. —

Permulum profecto ad coeli naturam, quae Revaliae obtinet moderandam situs urbis valet in loco a majore continentis parte, i. e. ab Euro, Noto et Africo, montis orbe circumdato, unde, quamquam ille mons 3 vel 5 milliarum

ab ea distat, propugnaculum quoddam efficitur contra ventos e mediterraneis regionibus flantes, saepe quidem aridos et aestuosos, sed frequentissimos tamen; ideoque aër intra muros, stagnans minus purgatur et reficitur. —

Sed majus momentum affert maris ab altera parte vicinitas; qua quidem atmosphaera urbi impendens multis humoribus et vaporibus repletur, crebrisque nebulis turbatur, simul autem liberiore ventorum a mari flatu, et continua inde surgenti exhalatione magis refrigeratur; hieme contra coelum mitius existit; cum mare, gelu coactum multum caloris emittat. Praeterea autem aër ventorum, a propinquo mari proficiscentium permeatu singulari quodam et occulto modo immutari et conformari videtur, etiamsi, qua ratione hoc fiat, ostendere nondum possumus; nam aëris in urbe purificatio et renovatio profecto non unicum bonum est, quod illi venti afferunt, sed sine dubio multae volatiles materiae e mari in atmosphaeram transeunt, quod clar. Hufeland quoque l. c. de acido muriatico aliisque materiis animalibus contendit. Nec non Jodum et Bromum aëri inesse conjecerit aliquis ex peculiari ejus odore, cui maxime similis est odor algosus ex multis plantis marinis in litas ejectis et putrefactis ortus, et circa Revaliam late diffusus. Ex maris vicinitate coelum ibi salubrius existere, insitari non possumus, praesertim cum incolae robusto plerique corporis habitu, florenti et sano oris colore, imprimis cute pura et integra ornati et morbi maligni raro ibi percrebrescentes, ad hanc opinionem nos ducant. Eo magis mirabitur aliquis experientia eam refelli, cum mortuorum numerus pro incolarum multitudine permagnus sit, ut capite insequente ostendemus; quae tamen res minus climate infesto, quam compluribus aliis causis efficitur. —

Breviter deinde memoranda videtur differentia inter temperiem, quae in urbe et quae in castello obtinet, ita ut thermometrum illic integro paene gradu altius se extollere soleat, quam hic, quae res in mediocri maxime frigore observata est. Castellum enim loco non editiore tantum, sed etiam apertiore situm est, quam urbs, quae arctis moenibus magis a ventorum et frigoris impetu defenditur. Simili modo urbs a suburbiis differt, in quibus praeterea propter loca depressa et humida aër multo magis corrumpitur.

CAP. IV. De incolis.

Revalia non omni tempore parem incolarum numerum habet, quippe qui saepe accrescat vel magna copiarum navalium parte, (sex septemve millium militum) ibi, hiemante, vel rusticanis nobilibus urbem convenientibus; vel peregrinis propter balneorum usum per aestatem Revaliae degentibus. Mercatura quoque mensibus aestivis celebrior multitudinem illorum augere videtur, quod vel ex majore hominum in portu frequentia apparet. Sed, si ab his incrementis quae ad tempus modo durant discedimus, incolae a. 1829 numerabantur 14,344. (quorum 6284 ad masculinum, 8,060 ad femininum sexum pertinebant) praeter milites. Ex novissimo autem censu (a. 1834 facto) summa eorum, militibus pariter exceptis, 15,696 erat (quorum 7,315 mares, 8,375 feminae), de qua tamen numerus 465 rusticorum (228 mares 237 feminae) civitati adscriptorum detrahendus est. Itaque ex anno 1829 usque ad a. 1834. incolarum numerus 887 hominibus auctus est. Sed ad ejus accretionem vel diminutionem exacte delineandam subsidia mihi desunt. Cum enim ad hanc rem accuratae natorum et

mortuorum tabulae necessariae sint, has de iis tantum, qui Lutheranam confessionem profitentur, consequi potui; Graeco-Rossicae autem fidei addictorum tabulae tantum mancae exstabant, excepto uno anno 1835, cujus catalogum plenum, Rossos quoque continentem afferam.

T a b u l a.

	Paria.	Neonati.		Defuncti.			
Anno.	Matr. juncta.	Sexus mascul.	Sexus femin.	Summa	Sexus mascul.	Sexus femin.	Summa
1828.	139	276	277	553	377	275	652
1829.	117	241	248	489	295	288	583
1830.	113	234	232	466	259	261	520
1831.	138	257	231	488	459	460	919
1832.	176	210	196	406	325	265	590
1833.	157	254	257	511	345	261	606
1834.	122	259	246	505	417	267	684
1835.	143	270	229	499	405	344	749
Summa.	1105	2001	1916	3917	2882	2421	5303
Graeco-Rossicae fidei addicti.							
1835.	120	209	150	359	366	130	496
Romano-Catholicae fidei addicti.							
1835.	16	2	4	6	40	8	48

His tabulis inter se collatis, summa efficitur rem sane tristem de Revaliae incolis indicans. Mortuorum enim numerus per omnes in illis descriptos annos numerum natorum multo superat, quae infausta ratio postremis annis maxime apparet. Causas hujus rei, si requirimus, ratio primum habenda est Cholerae, qua a. 1831. Revalia vexabatur, aliorumque morborum, qui, ut supra diximus, annis

insequentibus multo maligniores, quam ante esse solebant. Deinde plebs urbana proximo biennio majore inopia rerum ad victum necessariorum premebatur, propter agrorum in tota fere provincia sterilitatem, quam caritas annonae secuta est. His igitur duabus causis effectum est, ut proximis annis tanto plures morerentur. Sed aliae praeterea exstant, quae neonatorum, numerum minorem reddunt, quam mortuorum. Revaliae enim permulti homines in coelibatu vivunt, ut mercatorum opificumque socii mercenarii, operae atque architectorum ministri, magno aedificiorum, quae ibi exstruuntur, numero adducti, imprimis Rossi, qui relictis in patria familiis, ad varios labores, e. g. ad hortos olitorios colendos in hanc urbem se contulerunt. Itaque, praesertim cum et mulierum complures vacuae restent, haud mirum est, neonatorum numerum minorem quam pro incolarum multitudine existere. Nec non numerus mortuorum ex iisdem causis magnum incrementum capit; nam illi homines advenae, maximam partem pauperrimi, et multis incommodis damnisque objecti sunt, et, si morbo afficiuntur, cura plerumque carent: necessaria, qua apud suos fruerentur. Ad postremum hoc non praetermittendum est, multos aegrotos, nobili loco natos, ex rare in urbem se conferre, praesens medicorum auxilium imploratos, eos autem saepissime morti succumbere, qui plerumque demum morbo ita ingravescente, ut insanabilis jam sit, ad salutem in urbe quaerendam confugiant. Ex his omnibus patet, cur mortui tantopere neonatos numero superent, neque tamen hominum in urbe frequentiam in modum diminuatur, ut quispiam ex ecclesiasticarum tabularum comparatione expectaverit. Quod vero ea adeo singulis annis haud dubie accrescit, id inde fieri videtur, quod plures quotannis aliunde immigrantes sedem Revaliae constituunt. —

Quamquam urbs maximam partem a Germanis habitatur, qui in universum et humanitate et loco, quem inter cives oblinent, ceteris potiores sunt, tamen Esthonorum quoque et Rossorum haud exiguus numerus ibi invenitur, imprimis Rossorum, qui novissimis maxime temporibus frequentes et cujusvis conditionis, plerique tamen infimae, in hanc urbem migraverunt. Nec desunt Finni, Sueci, aliique peregrini. Germani, paucis exceptis, sacra Evangelico-Lutherana profitentur, ut omnes Esthoni et Finni, inter Rossos, de quibus opus non est dicere ad Graecam ecclesiam omnes pertinere, memoranda videtur secta quaedam, veteres formulas sequentium (Старовѣрцы); sed eorum exiguus numerus non est conspicuus. Pauci quoque Catholico-Romanae confessioni addicti sunt, quibus hieme complures Poloni accedunt ex classariis militibus. —

Praestat vero, cunctos Revaliae incolas secundum diversam vitae, negotiorum et quaestus rationem in tres ordines divisos considerare, quorum primo nobiles, litteratos, munere aliquo fungentes et mercatores, secundo seu medio ordini opifices, tertio homines infimae sortis, servos et operas, adnumero. —

Nobilium Esthonorum perexigua pars totum annum in urbe degit; aestivis enim mensibus ii etiam in praedia emigrare solent, qui munere aliquo obeundo per ceteram anni partem in urbe retinentur. Tamen et nonnullae nobiles familiae Revaliae sedem figunt, ut ibi de suo vivant; complures autem matronae viduae et in rerum familiarium inopia versantes cum liberis vitam parcam in urbe degere cupiunt. Officia quibus illi supra memorati funguntur, non talia sunt, ut vitam sedentariam valde continuam postulent, ejusque damna afferant. Nihilominus omnes nobiles occasionem sibi oblatam, vires vel negotiorum vel aëris in

urbe molestia attenuatas, liberiore ruris coelo reficiendi nunquam praetermittunt. Domicilia plerique in castello salubria habent, vitae ratione in universum commoda, temperata et sobria utuntur. Ter quovis anno, omnes fere nobiles rustici ad negotia sua curanda et res necessarias coemendas, in urbe conveniunt, Martio, Junio et Septembri mensibus; simulque familiis suis secum adductis, unde magna hominum celebritas in urbe existit, interdum sumtus ingentes faciunt in oblectationes, ut in magnificas epulas atque in vespertinos conventus ad saltandum vel ad musicorum concentus audiendos. Inprimis nobiles domum consortii (Actienhaus) frequentant, ubi coetum quandam instituerunt variis oblectationibus et maxime quidem saltationibus ac chartarum lusui destinatum. Hi conventus, saltationibus destinati, ab octava hora vespertina usque ad mediam noctem vel primam horam matutinam celebrari solent. Nec desunt nobiles publicis oblectationibus, ut ludis scenicis, symphoniis, aliisque, quarum maxima tum copia offertur, omni artificum genere conveniente. —

Litterati, quorum modicus numerus Revaliae est, victu nihil differunt a ceteris, nisi quod, ex officio suo, umbraculis plerumque abditi, nimis sedendi incommodis obijciuntur. Vitam parum socialem agunt; complures tamen cum suis quisque uxoribus et liberis die solis ad sodalicia, (quae dicuntur Kränzchen) conveniunt, et interdum libri alicujus lectione, saepe tamen chartarum lusu delectantur, qui ubique fere ingenuarum oblectationum locum tenere, et pro unico ad vacuum tempus fallendum remedio haberi solet. Praeterea, qui unam eandemque disciplinam colunt, societates plerique inierunt, inprimis medici inter se conjunctissimi sunt, non modo familiaribus congressionibus, sed conciliis quoque ad litteras tractandas, celebratis, et libro-

rum ad artem medicam pertinentium, qui in circulo eorum circumferuntur, communionem. Praceptorum, qui officii sui muneribus adstricti, tempore quo scholae frequentantur, oblectationibus parum vacant, plerique feriarum aestivarum otio locis amoenis ab urbe non ita remotis fruuntur; alii, hoc etiam tempore negotiis in urbe retenti corpus pariter atque animum in hortis suburbanis delectant et reficiunt. —

Muneri aliquo fungentes (eos maxime dico, quibus in variis magistratibus loci assignati sunt, quique uni ex 14 honorum classibus adnumerantur) quod ad vivendi rationem attinet, parum a litteratis differunt. Multum sane detrimenti et horum et illorum valetudo capit ex sedendi perpetuitate in negotiis, unde compluria mala, quae vel ex ore pallente et lurido cognoscas, oriuntur; et praecipue quidem omnes plus minusve stagnationibus in visceribus abdominalibus laborant. Summi eorum labores parva mercede compensantur, quamobrem plerique vitae jucunditates et commoditates sibi parare nequeunt. Numerus tamen eorum minor est Revaliae, quam in aliis Rossiae urbibus ejusdem magnitudinis.

Mercatorum tres ordines sunt Revaliae, ut in toto imperio Rossico. Primo ordini adscripti sunt, qui 50,000 rubelorum possident, iisque merces ex terris peregrinis importare licet. Sed eorum per paucos Revaliae invenies. Secundi ordinis mercatores 20,000 rubelorum possidere necesse est; hi ex illorum horreis merces sibi provident, aditum autem ad quamlibet imperii Rossici urbem habent. Ad tertium ordinem pertinentibus, quorum pecuniae 8,000 rubelorum aestimantur, non ultra praefecturae fines mercaturam facere licet; hujus ordinis maxima pars mercatorum Revaliae est. Cuncti autem mercatores ibi unum quendam ordinem, collegium majus (grosse Gilde)

quod dicunt, formant, ut opifices collegium minus (kleine Gilde). In universum mercatores Revalenses satis magno emtorum numero gaudent, et complures amplissimis opibus florent; institores vero, quorum tantus in urbe numerus est, ut tabernae eorum per integras plateas continuentur, merces aegre saepe vendunt. Animus quidam pusillus, hujus ordinis hominibus peculiaris, et humilis rerum suarum cupiditas, qua, privatae modo utilitati studentes, communi servire detrectant, non minima, ut videtur, causa est mercaturae tantopere diminutae, etsi alia quoque industriae impedimenta exstant. His proximis tamen annis Revalensium mercatura rursus augeri coepit. Societas capitum Nigrorum, de qua supra jam dictum est, ex mercatoribus junioribus in coelibatu viventibus constat, et suam domum possidet, ubi coetus quidam nobilium, mercatorum et militarium hominum institutus, maxime ab omnibus urbanis celebratur, cum alii, die in negotiis persequendis consumpto, amicos vesperi convenire cupiant, alii ephemerides legant, alii alio modo, velut chartarum vel eburnaeorum globulorum lusu, tempus terant. Etiam publicis oblectationibus haec societas saepe consulit. — Privata mercatorum vita socialis esse solet. Aestivo tempore villas in suburbiis inhabitant, hieme autem saltationibus vel chartarum lusu, in omnibus circulis usitatissimo, usque ad multam noctem delectantur. — Victus hominum, quos primo ordine complexi sumus, diversus quidem est pro facultatum diversitate; plerumque vero cibus utuntur etsi satis simplicibus tamen firmis et ad alendum aptis, maxime e carnibus paratis, saepe non convenientibus ceterae vivendi rationi, quippe cum plerumque sedere coacti sint. —

Medius ordo, opificum scilicet, aequae numerosus, collegium minus (Kleine Gilde) format. (Alia autem exstant

singularia collegia diversorum opificiorum, quae etiam munera (Aemter) appellantur, et quorum cuique Senior praefectus est.) Ex his multi opulentia haud contemnenda fruuntur, plures tamen vitam in summa egestate degunt. Magistri opificum ipsi cum prole saepe numerosissima in angustis domiciliis conferti vivunt, dum socii mercenarii, quorum complures sunt cuivis opifici vel modicum quaestum facienti, non minus arcta officina includuntur. Hi quoque conventum celebrant in domo collegii Sti Canuti, ibique otium tenent et oblectationibus utuntur, iisdem atque ceteri de quibus jam diximus. Victus eorum, rei familiari conveniens, plerumque mediocris, saepe tenuis est. Quamquam multi opifices honestissimi neque humanitatis expertes sunt, in aliis mores agrestes et ebriositatem, praecipue cerevisiae et vini adusti, etsi sacharo leniti, abusum invenies, qua re vitae domesticae felix tranquillitas persaepe turbatur. —

In ordine infimo haud exiguum incolarum partem numeramus, imprimis multitudinem Esthonorum varium quaestum in urbe facientium, et plerosque Rossorum Revaliae habitantium. —

Esthoni, e quorum numero rusticos ad urbanam dioecesin pertinentes exceptos volo, agrorum colendorum officio soluti (vulgo homines liberi dicti) aut servorum domesticorum apud cujusvis ordinis homines munus obcunt, aut custodum officio in aedibus, mercede conducti, fungentes, humidas cellas subterraneas vel in areis exstructas aediculas inhabitant, manuumque opera vitam sustentant; aut, id quod plurimi faciunt, 4 vel 5 familiae habitatiunculam aliquam, in suburbiis maxime, una conducunt, et jam pro se quisque victum quaerunt; viri operam mercenariam in variis rebus praestando, feminae acu vel lintea lavando, aliisque hujusmodi operis. Domicilia parum capacia, plerumque aere

crasso et insalubri repleta, admixtis multarum rerum, ut ciborum, linteorum siccandi causa suspensorum, saepe etiam animalium exhalationibus, summae inopiae speciem praebent. Attamen maxime proclives sunt Esthoni ad Germanos victu cultuque imitandos, qua in re omnem saepe mercedem acceptam perdunt, stolidè simul feroces adversus eos, quibus nulla re se obligatos esse putant, humilesque erga dominos suos, quorum res sibi commissas saepe avertunt, quibus sumtus in convivia aliasque oblectationes factos sufferant. Arti medicae parum confidunt, sed, graviter aegrotantes, mira cum tranquillitate mortem expectant, quam, fato destinatam, effugi non posse persuasum sibi habent. Saepe tamen, qui paulo majores opes sibi comparaverunt, liberos melius educandos curant, eo consilio, ut eos tributo, quod plerique aegre tantum solvunt, liberent. Multi, et mares et feminae, praecipuae suburbia litoralia inhabitantes, piscatui satis quaestioso operam dant; inprimis clupeas harengos minores, clupeas spratos (Kilostromlinge), hoc litore saepissime occurrentes, pleuronectides, capiunt, quos deinde feminae per urbem acri cum clamore venditantes circumferunt. — Victus hominum hujus sortis miserimus esse solet. Semel quotidie prandii loco, calidos cibos sumunt, quorum reliquiis, vel quolibet alio cibo, mane et vesperi famem depellunt. Alimenta, quibus maxime utuntur, sunt pisces salsi aut fumo conditi; carne raro vescuntur, saepius oleribus, solani tuberosi tuberibus, polenta hordeacea, lacte coagulato, denique pane furfureo et atro. Potus usitatissimus aqua est, et cerevisiae quoddam genus tenue, subacidum, levi fermentatione ex hordeo comparatum, quod ipsi Kalja appellant. In festivitibus impensam faciunt quam maximam, eam autem in ebrietate et potionum spirituosorum abusu, huic hominum generi maxime usitato, ponunt, atque cerc-

visiam vinumque adustum tam immodice bibunt, ut id convivium maxime laudetur, quod maxima omnium ebrietate finitum est. Quotannis tria vel quatuor millia cadorum vini adusti consumi dicuntur. Apud feminas novissimis temporibus et coffeae immodicus usus increbruit. Viri herbae Nicotianae et fumum sugunt et pulverem naribus ducunt; singularis praeterea mos iis est ipsam herbam in ore tenendi et mandendi, quem frequentes nautae peregrini induxisse videntur. —

Finnorum quoque et *Succorum* haud magnus numerus in hominibus infimae sortis invenitur; hi tamen moribus haud multum differunt ab Esthoniis, nisi quod dominorum, quibus serviunt, magis studiosi esse, iisque majorem fidem praestare solent.

Rossorum variae conditionis permagna hodie est multitudo Revaliae. Eorum, qui in superiore ordine censentur, mercaturam plerique faciunt; nonnullis munera in cancellariis et scholis delata sunt. Mercatores Rossi corium, caudelas, merces transmarinas vel ex chalybe factas, interdum etiam pannos vendere solent, et Germanis, ut mercatura minus ampla inferiores sunt, ita sedulitate et industria praestant. Victu cultuque mores populi sui servantes pares sunt mercatoribus in aliis Rossiae urbibus, quos illustrissimus Professor Dr. Erdmann egregie descripsit. *) — Humili loco nati Rossi frequentissimi sunt Revaliae, vel operae, vel olitores, vel piscatores, vitamque agunt nulla ex parte insignem.

Revalenses primi et medii ordinis maximam partem integri, simplices, hospitales sunt, excellentes non solum patriae urbis caritate, sed summo quoque erga reipublicae moderatores obsequio. Singulari fide et grato animo Augustissimam Imperatoris domum colunt, cui plurimis bene-

*) Beiträge zur Kenntniß des Innern von Rußland, von Dr. J. Fr. Erdmann. Riga und Dorpat. 1822.

ficiis se obstrictos esse cum ambitione quadam agnoscunt et profitentur. Summam laetitiam prae se ferunt quoties Clementissimus Princeps urbem ipsorum invisere dignatur. Patriae studium Revalenses etiam ad eximiam liberalitatem impellit, qua cuivis afflicto vel egeno, auxilium petenti, benignam opem praestantes prompti et parati sunt. Mores castos et integros servarunt, a corruptela, quae in plerisque urbibus invaluit, abhorrentes; et sacris publicis libenter intersunt, et domi piis meditationibus vacant. Nostris tamen temporibus hoc rerum sacrarum studium partim imminui coepit, partim hic, ut alibi, degeneravit in coecum ardorem, vel externam pietatis speciem, quae in occulto propagari solent, jamque adolescentiae multa damna attulerunt, et haud scio an pro gravissima causa mentis alienatae, hodie increbrescentis habenda sint. — Infimam vero plebem corruptela aperte invasit, quae documento est, hujus conditionis homines morum integritatem servare non posse, cum et luxuriae, ebrietati atque heluationi indulgeant, et facultates ad talem sumtum tolerandum non raro furtis sibi parare studeant. —

Quod ad ingenii culturam attinet, fatendum quidem est, Revalenses minus in ea profecisse; sperare tamen licet, fore ut artes et doctrinae propediem ab iis acriore studio colantur, quod jam nunc in plerisque videtur excitatum esse. Scholae litterarum complures Revaliae exstant; in his *Gymnasium provinciale*, et duae minores scholae, altera a pueris Germanis, altera a Rossis frequentata, sumtibus publicis sustentantur; schola puellarum et schola mercatoria ab ipsa civitate conditae sunt, a privatis autem hominibus plures scholae, ubi et pueri et puellae primis litterarum elementis imbuuntur, et schola in qua pauperum pueri et opificum discipuli die solis erudiantur. In castello sita est schola episcopalis seu equestris, proprie quidem non, ut

Gymnasium, ad viros doctos formandos destinata, sed ad pueros nobiles litteris tantum imbuendos, quantum iis sufficiat, qui militiam capessere soleant; tamen etiam multi juvenes inde ad studia academica prosequenda se contulerunt. Ad eandem scholam domus pertinet, in qua antea viginti inopum nobilium Esthonorum filii gratuito alebantur et educabantur, nuper autem hoc institutum valde amplificatum est. Impensae et in hanc cholam et in eam, quae in orphanotropheo episcopali est, faciendae ab equitibus Esthonis praebentur. — Bibliothecas memoratu dignas Revalenses paucas possident. Amplissima earum in domo Capitum Nigrorum collocata est quam a. 1825 a quibusdam litteratis et artificibus institutam, deinde et donis eorum qui rei tam utili favebant, et addita vetere bibliotheca, quae in aede Sui Olai fuerat, ad numerum 10,000 fere librorum maxima ex parte veterum, omnes disciplinas amplectentium, auctam, a. 1831 Ministerium rerum domesticarum (Ministerium des Innern) privilegio publicae in praefectura Esthonica bibliothecae ornavit, quae tamen adhuc satis commode ad usum publicum loco caret. Aliae bibliothecae exstant in Gymnasio, in schola equestri et inferioribus scholis, in aede episcopali, denique bibliotheca in navalibus, quae quidem libros lingua Rossica scriptos continet. — Tabernae librae tres sunt Revaliae, praeter nonnullas, in quibus libri non veneunt, sed legendi offerentur. — Tantus cum sit numerus institutorum ad artes litterasque propagandas, plebem urbanam nihilominus eruditionis et humanitatis expertem esse, quis miretur? Quamquam enim in hoc etiam hominum genere aliquod ingenii excolendi studium apparet, gravissimum tamen momentum quo ad pueros elementariis saltem scholis tradendos impelluntur nullum aliud est, quam quod sperant eos, examine aliquo superato, vectigalis in capita impositi immu-

nitatem habituros. Unde factum est, ut multi homines infimo loco nati, sed altioribus studiis tractandis idonei, viri doctissimi exsisterint, nec non ut tanto plures Universitatem litterarum adire cupiant, quae res laeta sane esset, nisi multa incommoda ex ea nascerentur. Ut rustici patria sorte morumque simplicitate et patrio quaestu relicti, opificium addiscunt, ita opifices ad ampliores honores majoremque libertatem contendunt. Quae detrimenta hoc pravum humanitatis studium, ex vanis causis natum, quo literae atque artes ad mercedem atque quaestum abducuntur, et honestarum artium cultui et opificiorum industriae necessario afferat, id exponere hujus loci non est. Mercatores non omnino quidem rudes sunt, sed ingenii cultura eos excellere, nemo exspectabit, quamquam optandum est, ut doctrinarum, quae ad artem suam pertinent, scientiam, cum facultas non desit, locupletare et colere studerent; majorem enim, quam nunc quaestum facerent, si negotia et amplificare et rectius administrare callerent. Adolescentes quidem scholas litterarias frequentant, sed plerique in iis tantum ad tertiam vel secundam classem perveniunt, neque magnam utilitatem percipiunt ex his studiis, quae segniter exercent tamquam parum quaestuosa sibi futura. Verum tamen mercatorum quoque filii permulti in Gymnasio Revalensi et deinde in Academia Dorpatensi summam eruditionem sibi comparaverunt, et litteris artibusque multum sane et profuerunt et proderunt. —

Litterati Revaliae pauci sunt, medici tamen procolarum numero satis multi, duodecim fere (praeter medicos qui nosocomiiis militum praesunt) ii vero non pariter occupati, cum alii negotiorum mole paene opprimantur, alii semper fere vacent. Sed in multitudine eorum, qui alias partes sustinent, exiguus litteratorum numerus evanescit,

unde illa, qua Revalia laborat, litterarum inopia oriri videtur non minus quam ex devio et remoto in ora maris baltici situ, qui urbem et provinciam ab omni commercio litterario secludit. Minime autem ipsi Revalenses accusandi sunt, quasi litterarum cultui propagando operam dare aut nesciant aut nolint; quantum enim artibus doctrinisque student, societates litterariae testantur a paucis illis viris eruditis eo consilio initae, ut in cunctos inde utilitas redundet. Societas ad historiam patriae indagandam, cujus rationem a. 1833 complures litterati et nobiles proposuerunt, nondum publice rata habita, sed societas statistica praefecturae Revalensis a. 1834 magistratuum decreto instituta est, cujus opera nos accuratorem provinciae et oppidorum scientiam consecuturos esse sperari licet. Complures etiam Revaliae cives litteris gloriam apud externos sibi comparaverunt, quorum nomina afferre haud difficile fuerit. —

Mulieres Revalenses, si a feminis infimae conditionis recedimus, morum saucitate excellent, minus quidem ingenii cultura et litterarum scientia, sed hoc vitium, si quidem vitium dicendum sit, praeclaris virtutibus compensant, quas, conditionis, in qua natae sint, memores, in vita domestica probant. Puellarum adolescentium animi, nostris maxime temporibus, in scholis supra vires intenduntur eruditione multas doctrinas amplectenti, quamquam ideo necessaria, quod complures illarum rei familiaris inopia coguntur ad munus domesticarum magistrarum suscipiendum. Sed valetudinem earum magnum inde detrimentum capere omnes medici contendunt. Virginum Revalensium genae ante florentes magis magisque jam pallescunt, et permagnus morborum numerus ex nimia illa eruditione ortus, muliebrem sexum invasit. Jure igitur complures in ephemeridibus Rigae editis reprehenderunt hunc pravum morem, quo alteri sexui

nimum pro corporis teneritate onus imponitur. — Mulieres Revalenses in universum satis robusta corporis constitutione fruuntur, quamquam plurima oblectationum genera sanitati earum officiant, et maxime quidem saltationes ad multam noctem durantes, unde tot morborum causae existunt. Praeterea detrimento iis est coffeae, quam Revalensium feminae tantopere amant, nimius usus, sanguinis circulationem turbatam, plethoram, aliaque mala efficiens. Accidit quod permagnus mulierum vacuarum numerus, etsi in universo incolarum numero minus appareat, Revaliae exstat, qui inde oritur, quod multi quoque viri, aut munere aliquo in iudiciis fungentes, aut mercatorum opificumque socii, coelibes degunt. Haec autem vita naturae muliebris rationi non conveniens, multis eas morbis obnoxias reddit, ut menstruorum vitiis, hystericis et nervorum affectionibus. — Plebejae mulieres pleraeque tanto corporis robore gaudent, ut ne servitii quidem varii labores, quos tolerare solent, damnum ullum iis afferant; eae tamen, quae vitam motione carentem agunt, velut acu victum sibi quaerentes, quarum numerus indies crescit, omnem fere sanguinis circulatione turbata et congestionibus in caput laborant. —

Publicis oblectationibus Revalenses optime consuluerunt. Loca amoenissima quibus urbs circumdatur, publici horti et ambulationes festis diebus, horisque vacuis vespertinis, magna hominum frequentia celebrari solent. Multum quoque ad vitae socialis jucunditatem augendam conferunt histrionum greges, quibus in tempus ludorum scenicorum agendorum munus delatum est, aut qui per hasce provincias circumvagantes interdum Revaliam adveniunt. Alii quoque artifices, ut clarissimi cantores et cantatrices, ac musici instrumento aliquo tractando excellentes, dum auditores loco publico delectant, magnas laudes et pecunias sibi comparant.

Saepe etiam privatorum his artibus deditorum societates aut fabulas in theatro agunt, aut symphonias edunt, ita ut quaestum inde sibi evententem in pauperum penuriam levandam impendant. Omnino enim Revalenses ingenuarum artium satis studiosi sunt. Varii denique, nobilium, mercatorum et opificum coetus publicas oblectationes, ut saltationes, instituunt, quarum copia inprimis eo tempore offertur, quo vel nobiles rustici, vel peregrini ad aquarum usum convenientes urbem frequentare solent. —

CAP. V. *De re medicinali, pauperum et aegrotorum cura.*

Ut in omnibus Rossici imperii urbibus, quae singulorum praefectarum capita sunt, ita Revaliae summum medicorum concilium (Uprawa) rei medicinali civili praestet, proxime summo medicorum civilium praefecto, et per hunc medicinali sectioni Ministerii rerum domesticarum (Medicinal-Departement des Ministerium des Innern) subjectum, atque ex Praefecto seuInspectore, ex Operatore in arte chirurgica versato, et ex medico artis obstetriciae peritissimo compositum. Hic medicorum senatus variis muneribus, ad rem medicinalem praefecturae pertinentibus, fungitur; nam et iudicii locum tenet, quoties in litibus disceptandis medicorum sententia opus est, et custodiae ejus publici in oppidis medici, physicus urbanus, pariter ac medici privatam praxin exercentes, omnesque pharmacopolae et obstetrices, per totam praefecturam commisi sunt, et varia nosocomia curae habere atque consilia, quibus morbis epidemicis occurratur, inire debet.

Medicorum concilio, tanquam iudicio multa et varia negotia mandata sunt. Inprimis, quoties quis mortuus in-

venitur, vel subito moritur, vel infantes mortui nascuntur, quibus vim illatam esse suscipio est, vel simile quid accidit, medicorum concilium, a magistratu jussum, medico forensi, in cujus circulo res accidit, mandat, ut corporis inventi accuratissima sectione facta, visum repertum, sententia addita, sibi transmittat, quam deinde relationem ipsum examinat, et magistratui tradit. Perinde si quis maleficus gravissima poena, velut ad deportationem, vel ad metalla condemnatus, supplicium ob infirmitatem vel valetudinem debilem corporis non perlaturus, fortasse in ipso itinere obiturus videtur, medicorum concilii judicio permittitur, num reus poena afficiendus sit; sin minus, eum nosocomio ad collegium providentia communis pertinenti curandum vel observandum tradi jubet. —

Nec minus summi medicorum concilii est, ut singulis mensibus, ita sub finem anni, medicorum in praefectura forensium et physici urbani, de morbis, qui iis occurrerint, relationes recipere, et quae cuncti privati medici agant, inspicere, inprimis vero morbos, qui in urbe et provincia accidere solent, singulorum medicorum observationibus et opinionibus collectis, penitus cognoscere. Hoc demum anno conditio a medicorum concilio proposita, ut annuae hujusmodi relationes quam accuratissimae sibi fierent, ab omnibus medicis Revalensibus probata est, unde certo sperare possumus, in postremum experientiam nostram pluribus observationibus locupletatum iri, quam hucusque propter mancam earum collectionem licuerit. —

Cum omnia pharmacopolia, quorum compluria privata et unum publicum Revaliae exstant, concilii medicorum curae commissa sint, de iis quoque pauca moneamus. In eo capite, quo de historia Revaliae egimus, de vetustissimis pharmacopoliis jam dictum est, primam eorum mentionem

circa annum 1580 fieri, et eo quidem tempore duo existisse, quorum alterum, hodie pharmacopolium majus appellatum, senatus urbanus possederit, alterum, pharmacopolium minus, a privato homine conditum sit. Illud, ut l c commemoravimus, ab uno ex majoribus possessoris, qui nunc est, conducebatur, donec a. 1689 senatus hanc officinam genti ejus vendidit, ea conditione, ut praeter alteram illam nulla alia, neque in urbe, neque in suburbio, institui liceret. Pharmacopolium minus parum floruisse videtur; nihilominus haec duo tantum Revaliae exstabant, donec a. 1812 tertium in ipsa urbe Principis venia impetrata conditum est, pariter atque a. 1832 quartum in suburbio Narvensi, quod, cum alias minus quam cetera celebrari soleat, tempore balneorum usui idoneo peregrinis prope Catharinae Vallem habitantibus percommode situm est. Pharmacopoliorum Revalensium, quae quotannis a summo medicorum concilio inspiciuntur, conditio optima semper inventa est. Praeter quatuor illa privata unum publicum Revaliae exstat, unde tamen modo majores medicamentorum copiae nosocomio militari praebentur, cui negotio pharmacopola, qui de publico stipendium accipit, et rationum spectator praesunt, custode uno addito ex medicorum concilii socii, qui post quaternos menses de medicamentis examinandis et nosocomio tradendis rationem reddere debent. —

Obstetricum quoque curam agit medicorum concilium, cum et examine instituto exploret, num artem suam satis cognoverint, et, si scientia sufficere videatur, artis exercendae veniam iis concedat, et peccato aliquo commisso, rationem ab iis reposcat. —

Deinde custodiae ejus mandata sunt cuncta per totam provinciam nosocomia civilia, quorum Revaliae compluria exstant, in quibus tamen non aegroti tantum, sed pauperes

quoque urbani curantur et aluntur; eaque distingui possunt, prout aut de publico, aut a civitate, aut a nobilibus rusticis, aut pecuniis variorum munificentia collatis sustentantur. Neque nosocomium militare praetermittendum videtur, quamquam medicorum concilium ei non praest. In his institutis publicae saluti prospicientibus primum numerandum est.

1) *Collegium providentia communis* (der allgemeinen Fürsorge), de cuius origine et ratione primaria latius pertinenti jam in historia urbis enarranda diximus, quodque, ex compluribus et nobilibus et civilibus, accedente collegii medicorum inspectore, et praeside summo rebus civilibus praefecto, compositum, pecunias de publico assignatas, quae multis maxime augentur, in multorum aegrotorum et egentium inopia levanda collocat. Cui fini inservit *nosocomium providentiae communis*, in regione arenosa suburbii Pernaviensis extractum, ubi aream quadratam compluria aedificia cingunt partim aegrotis, pauperibus et mente captis curandis, partim rebus oeconomicis destinata, partim a chirurgo eodemque pharmacopola, et ab oeconomio habitata. Aegrotorum curatio, mercede constituta, alicui medico a collegio committitur. Ex anno 1828 pars hujus nosocomii, Augustissimi Principis jussu, aegrotis syphiliticis concessa est, ubi imprimis meretrices per urbem vagantes, maximam partem lue venerea laborantes, qua milites classarios hieme Revaliae degentes inficiebant, gratuito curantur, ita ut numerus earum manifesto decreverit. Qua re cum aedificia parum spatiosa facta essent, pauperes (maximam partem milites veterani) in domum vicinam transferri oportuit. Conclavia 100 lectis recipiendis destinata non solum angusta, sed humilia quoque aërem non satis purgari patiuntur; quamobrem, etsi novissimis temporibus interna instituti dis-

positio correctae est, multum sane profuerit aedificatio jam proposita novi ejusque amplioris nosocomii. Officinae pharmacorum nuper additae chirurgus praest, qui cum singulas species et medicamenta praeparatu difficilia ex pharmacopolis urbanis sibi comparat, usitatiores medicinas ipse conficit et pretio convenienti vendit. In hoc instituto non solum aegroti inopes, milites ad arma inutiles, et meretrices syphilide affectae gratis curantur et aluntur, sed homines quoque de plebe vel ipsorum, vel dominorum, quibus serviunt, facultatibus sustentantur, et praecipue rusticis, qui sine familia ad urbem venerunt, ibique morbo correpti, in maximis saepe miseris versantur, pago, ad quem pertinent, impensas praebente, locus datur, sicut maleficis, qui valetudinis causa poenam sibi irrogatam ferre nequeunt.

2) *Nosocomium et ptocheum urbanum*, a civitate sustentatum, cujus fundatio in summam antiquitatem incidit; XIV enim saeculo (circa a. 1370) in annalibus urbis jam discernuntur nosocomium urbanum *vetus* et *novum*. De quo nunc agimus, nosocomium *vetus* fuisse videtur, *novum* autem illud, quod hodie nosocomium Sti Joannis dicitur. Situm est in urbe prope portam fabrorum, haud procul a moenibus, et recipiuntur in illud homines infirmi vel aetate graves cujuslibet conditionis. Sed si loci naturam et angustiam spectamus multa in hoc instituto desiderantur; cellae enim arctae et obscurae vix 60 vel 70 infirmos capiunt; domi quidem hortulus adjacet, qui tamen, cum aliis quoque ambulantiibus et transeuntibus inserviat, ipsis aegrotis parum quietis et licentiae praebet. —

3) Perinde civitatis impensis sustinetur *nosocomium Sti Joannis*, quod in suburbio Dorpatensi situm, propriam aedem sacram habet, atque 30 vel 40 aegrotis patet. —

4) Ordo equester sumtus suppeditat *orphantropheo episcopali*, quod a. 1725 a Mickwitzio, aedis cathedralis antistite primario, conditum, hodie quoque ab eo, qui sacra in hac aede curat, administratur. Praeterea etiam aliorum liberalibus donis reditus hujus instituti augeri solent, in quo 40 orbi, pueri et puellae, inspectoris et praeceptoris cura educantur et erudiuntur, ex quibus pueri postea opificium aliquod addiscunt, puellis vero, quae manuum maxime operibus institutae sunt, commodae ad victum sibi parandum conditiones providentur. —

5) Anno 1819 a compluribus civibus Revalensibus et nobilibus rusticanis constituta est *societas auxiliis ferendis* (Hülfsverein) quae nunc magno sodalium numero florens, a delectorum quorundam concilio regitur, et propositum sibi habet benignis donis collectis egentium miseriae optulari, ita ut partim inopes pecunia vel frumento aut semel aut singulis mensibus donentur, partim juvenus eorum, quantum sufficiat, erudiat, partim aegroti a medico hujus societatis domi et sine mercede curantur, pharmacopolis quoque medicamentorum certam copiam gratuito praebentibus, partim multis pauperibus facultas quaestus manu faciendi detur, cum opera eorum postea veneant. Itaque et opes societatis dividuntur in eas, quae aut donis, aut scholis, aut operibus destinatae sunt; sumtus vero conficiuntur pecuniis et ab ipsa societate collatis, et ex publico collectis; quin etiam Augustissima Imperatoris domus annuis beneficiis eas auget. Praeterea societati committuntur pecuniae ludis scenicis et musicorum concentibus, quos artium amatores edere solent, pariter atque sortitionibus privatis confectae, quae tamen cunctae non sufficiunt; tantus enim egentium numerus est Revaliae. —

6. *Ptocheum Alexandri*, prope viam Pernaviensem situm, lechodochium etiam mulieribus inopibus praebens, exiguum est, 20 vel 30 lectis instructum.

7. A collegio mercatorum sustentatur *institutum pauperum domesticorum*, quod dicitur, unde inopes et aegroti in suis domiciliis beneficia accipiunt.

8. Anno 1817, cum tertium festum saeculare sacrorum reformatorem celebraretur, a viro meritissimo Salemanno, Revalensium consule, pecuniae collecta sunt ad novum *orphantropheum urbanum* seu *Lutheri* condendum. Cum autem pecunia comparata nondum sufficiat propriis aedibus emendis, octo orbi in privatis domibus aluntur usuris.

Praeter haec instituta salutaria multa alia Revaliae exstant, quibus pauperes, viduae et orbi, tam in urbe, quam ruri, nonnulla etiam, quibus inopes juvenes litterarum in Academia Dorpatensi studiosi adjuvantur.

9. Militibus patet nosocomium, quod anno 1827 duobus nosocomiis militum pedestrium et classicorum, quae antea separata erant, conjunctis existit, in Valle Sti Joachimi, in extremo suburbio Dorpatensi, loci amoenitate insigne. Hic quoque, ut in nosocomio providentiae communis, magna area quadrata aedificiis circumdatur ad institutum pertinentibus, quod suam aedem sacram et hortum possidet. Administratio ejus commissa est Petropolitano medicorum concilio militari; fruitur autem ut optima dispositione et disciplina, ita summa munditie et commoditate, aegrotis 400 vel 600, secundum varia morborum genera per oecos altos et illustres distributis. —

Denique et munera summi medicorum concilii pertinet a medicis forensibus circulatorum et physico urbano relatio-

nes de valetudinis per urbem et universam provinciam conditione exigere, morborum autem contagiis late diffusis, consilia necessaria ad luem coërcendam capere, et superioribus magistratibus rem indicare. Multa quoque fiunt ad morbos funestos in urbe praevertendos, cura politicae medicinalis. Imprimis alimenta saepe examinantur, cum non raro esculenta corrupta vel fructus immaturi in publico venumduntur, vel cerevisia corrupta confiscanda sit. Accidit etiam ut a pistoribus dulciariis ratio posceretur, cum pueri crustulis quibusdam consumptis repentino morbo, ut vehementi vomitu, cardialgia, convulsionibus adeo afficerentur; ubi arte chemica ad illorum esculentorum explorationem adhibita, in variis pigmentis, quibus illita erant, cuprum deprehendebatur.

CAP. VI. De morbis.

Cum jam in prioribus hujus dissertationis partibus in complures difficultates incurrissem, quas ad animi sententiam expedire mihi non contigit, hoc maxime caput, quo de morbis Revaliae grassantibus agetur, quam mancum futurum sit, bene sentio. Mihi enim artis medicae novitio cultori, tam experientia deest, quam propria illorum morborum observatio. Operam quidem dedi, ut hoc desiderium aliquo modo explerem, et ex medicorum multos per annos praxin ibi exercentium, quorum judicium unum in hac re valet, doctis et fructuosis sermonibus utilitatem quam maximam poteram percipiendo, et relationes, quamvis mancas de morbis, qui singulis annis usu venerint in tabulario summi medicorum in praefectura Esthonica concilii asservatas inspiciendo; dolco tamen, me omnium Revalensibus medicis

occurrentium morborum brevi tabulam adjicere non posse. Namque in nosocomio providentiae communis modo valde imperfectam de iis notitiam assecutus sum, et tabularum quae morbos in nosocomio militari curatos continent, rationem, si quis habuerit, falsam conjecturam fecerit. Homines enim in hoc nosocomium recepti, cum non coeli rationibus, quae Revaliae obtinent, affecti fuerint, sed aliiis ante locis et rationibus vixerint, morbis laborant, in quos Revaliae degentes non incidunt; velut plurimi illorum Scorbuto aegrotant, qui Revaliae rarissimus est. —

Ut quovis alio loco, ita Revaliae una quaedam *constitutio endemica* in omnibus morbis praevalet, *constitutio pituitosa*; quam endemicam esse, partim inde apparet, quod longo tempore eadem semper et immutata mansit, partim inde, quod origo ejus ex coeli locique natura aliisque causis huic urbi propriis demonstrari potest. Perpetuitas enim et constantia hujus morborum constitutionis jam a clarissimo Dr. Bluhmio *) confirmatur, qui dum febrem pituitosam 50 abhinc annos creberrimam et a se ipso saepissime observatam, describit, plerosque morbos ex turbata et abnormi pituitae secretionem profectos esse docet, eamque aut cum febre conjunctam, quae febris pituitosa ab eo appellata, ex anno 1785 usque ad 1789 continua et satis maligna Revalenses vexabat, aut symptomaticam in variis morbis fuisse. Et si nostrae aetatis medicos audimus, hi quoque abnormitatem in pituita discernenda praevalere comprobant, tum in organis quae respirationi, tum in iis, quae assimilationi inserviunt, apparentem. Endemicam vero ejus rationem variae vires nocentes huic loco propriae efficiunt. Primum, si clima Revaliae respi-

*) Dr. G. Bluhm. Versuch einer Beschreibung der hauptsächlichsten in Reval herrschenden Krankheiten. Warburg. 1790.

cius, ex eo quod de coeli natura ibi obtinenti dictum est, intelligimus, pituitaria maxime organa functionis vitii necessario laborare. Namque aër variabilis, plerumque crassus, humidus, asper, qui, exceptis tribus aestivis mensibus, Junio, Julio et Augusto, et brevi quodam hiemis tempore, per totum fere annum praevallet, non modo ipso contactu membranis mucosis infestus est, sed cutis quoque actione impedita functionem earum turbat, imprimis maris vicinitas, quamvis salutarem ex alia parte vim in clima Revaliae exercent, multas illis damnosas causas affert, ut ventos frigidos inde exortos, nebulas et humorem aëri admixtum. Neque soli, in quo urbs exstructa est, propria ratio negligenda est, propter majorem minoremve humorem et nebulas, quae inde gignuntur, pituitae secretioni turbandae idonea. Si denique ea in memoriam tibi revocaveris, quae de vivendi ratione, de domiciliorum victusque conditione diximus, persuasum habebis, praevalentem illam membranarum mucosarum dispositionem, qua a normali functione quoad quantitatem et qualitatem recedunt, Revaliae omni modo ali, et facillime adeo intendi posse, ut morbi existant. —

Sed haec constitutio *endemica* varie mutatur a constitutione *stationaria*. Cum fere 10 abhinc annos inflammatoria morborum natura obtineret, in locum ejus successit gastrica constitutio, quae, medicorum judicio, in functionibus organorum abdominalium creberrime turbatis conspicitur, sed, cum in omnibus morbis praevaleat, simul ad nervosam constitutionem jam saepe inclinatur, quod praecipue proxima aestate factum est, ubi frequentissimis febribus gastricis, procedente morbo, symptomata nervosa accedere solebant. Stationariam igitur constitutionem nervoso-gastricam esse dicunt medici, eam tamen momentis endemicis non vacuam. Nam cum in plerisque morbis acutis, tum in febribus

nervoso-gastricis, saepissime simul observata sunt lingua denso muco albo obducta et pituitae tum largior, tum rarior evacuatio per vomitum vel alvum. —

Aequae manifestam et magnam, quamvis non huic loco peculiarem vim varia anni tempora in praevalentem morborum naturam exercent. Vere ineunte inflammationes, pectoralium maxime organorum, increbrescunt. Raro tamen in universum applicior apparatus antiphlogisticus Revaliae adhiberi poterat; sanguinis enim emissiones, justa, ut videbatur, indicatione factae, cum adynamiae plerumque nervosae accessionem accelerarent, quam circumspecte iis utendum esset, ostendebant. Aliiter quidem res se habebat in plebe, ut quae robustiore corporis constitutione fruatur. Eodem autem tempore Rheumatismi et Catarrhi saepissime occurrunt, cum cutis functiones perfrictionibus ideo saepius turbentur, quod tempestas mitis et jucunda hominibus visa, eos perducit, ut minus a ventorum asperitate se defendant. Aestate magis occurrunt affectiones organorum abdominalium semper cum vitiosa muci secretionem conjunctae. Ex praematuris in mari lavationibus, deinde ex consumptione frigerantium, crudorum olerum fructuumque, non modo diarrhoeae, colicae et dysenteriae oriuntur, sed, aestu ingravescente, gastricae etiam febres cum symptomatibus nervosis existunt; saepe etiam turbata bilis secretio apparuit. Auctumno imprimis Rheumatismi et Catarrhi pertinaces, sed dysenteriae quoque oriuntur; symptomata etiam Cholerae similia non rara sunt. Tempestas auctumnalis, inconstans et inimitis, cum diu fluctuaverit, hiems tandem ingruit, subitaria saepe coeli mutatione; ita fit, ut rheumaticae et catarrhales molestiae usque ad mediam hiemem producantur, plerumque etiam latius serpent. Imprimis crebrae sunt Angina faucium et angina parotidea.

Universam morborum naturam adumbrare conati, pauca nunc de singulis nonnullis morborum formis adjiciemus.

Primum, tanquam Revaliae peculiare malum, *febris pituitosa* nominanda est, quam Bluhnius, vir clarissimus, jam libri supra laudati pag. 32 his verbis depingit; „Die Kranken klagten über große Mattigkeit, heftige Kopf- und Gliederschmerzen, Brennen in der Haut, bösen Geschmack, unreine Zunge und Diarrhöe. Der Puls war anfangs nicht sehr geschwind und von mäßiger Ausdehnung. Am sechsten Tage fingen sie an zu phantasiren, kamen aber nach Spanischfliegen-Pflaster an die Waden, bald wieder zu sich, und die Krankheit verlor viel von ihrer Heftigkeit, wurde aber langwieriger und dabei war das Klagen über Gliederweh sehr groß.“ Idem morbum constitutione annua mutari concedit, eumque vel cum vehementioribus capitis affectionibus, vel cum malis pectoralibus, vel cum abdominalibus maxime conjunctum se observasse refert. Simillimam hujus morbi speciem nunc quoque medici delineant, hoc modo: Aegrotus in lassitudinem et infirmitatem incidit, feбри tamen initio non vexatus, simulque de languente ciborum appetitu et de sapore vappido queritur; mox apertae motiones febriles accedunt. Facies pallida plerumque, cutis impura et sicca, pulsus frequens, sed parvus, interdum, quamvis raro, plenus est. Capitis temulentia ad prementem cephalalgiam frontalem accrescit, aegroto ad soporem inclinante et pigre se movente. Maxime autem digestionis organa affecta sunt; ciborum appetitus deest, sapor malus, tum vappidus, tum amarus, vel nullus omnino; linguae media praecipue pars muco albo, denso, lento, saepe in fila ductili, interdum luteolo, obducta est, margines ejus non raro rubent. In inferiore quoque intestinorum tractu copiosa illa pituitae se-

cretio apparet ex lentis massis mucosis vel vomitis vel per alvum exoneratis, quod cum acciderit, morbus interdum subito finitur. Alvi evacuationes raras plerumque, quamquam etiam diarrhoeis similes sunt, accedente saepe vitiosa bilis secretione, quam amarus sapor et lutea linguae obductio indicant; vel magna abdominis sensibilitate, si manu tangitur, vel colica spastica. Alii ex organis pectoralibus magis laborant, doloribus rheumaticis et affectionibus catarhalibus saepe jam ab initio vexati, vel si caput potissimum infestatum est, vehementiore cephalalgia premuntur. Mucus cum aut vi naturae, aut arte evacuatus sit, sudor erumpit salutaris, et morbus plerumque remittit. Nihilominus die sexto vel septimo symptomata turbatae nervorum functionis accedunt, ut deliria et animus obtusus. Saepe etiam exanthema in cute conspicitur, parvas, paullulum elatas maculas rubras ostendens. Rarissime autem morbus in statum putridum degenerat. Decursus ejus hodie minus diuturnum, quam olim esse, sed tertia vel quarta hebdomade finiri dicunt, digestionis tamen quibusdam vitiis remanentibus, nisi rationes diaeteticae diligenter constituantur. Prognosis raro infausta erat, nisi malum ingravescebat febrili indole vel affectionibus localibus. Quod ad curationem attinet, clar. Bluhnius initio naturae contentionem emetico adjuvit, deinde pulverem mucum incidentem (Crem. tart. Unc. j. Sal. ammoniac. Dr. j—jj. Tart. emetici Gr. j.) adhibuit, secunda quaque hora cochleare minore sumendum, quo mox lingua pura facta est, et saepe morbus finitur. Raro tantum, in affectionibus localibus inflammatoriis, methodo antiphlogistica opus erat. Adynamia praevalente excitantia praebuit, ut Camphoram, Liq. C. C. succinat., vinum, extrinsecus autem sinapismi et vesicantia suris apposti maximam attulerunt utilitatem. Ab hac methodo hodie quoque medici non mul-

tum recedunt. In curatione secundaria saepe remedia amara et aromatico-amara adhibentur. —

Ceterae febres gastricae et affectiones catarrhales et rheumaticae nihil peculiare habent, nisi quod creberrimae sunt. Non minus frequentia occurrunt mala ex stagnationibus in organis abdominalibus nata; imprimis Revalenses laborant Haemorrhoidum variis formis, ut formatione nodorum haemorrhoidalium vel fluxu aut cruento aut mucoso, quae facillime existunt in vita sedentaria, praesertim accedente ciborum ex carne comparatorum et coffeae vel potuum spirituosorum usu frequentiore. Hoc autem morborum genus cum sanguinis circulationem turbatam efficiat, Hydropsis etiam variae formae inde interdum oriuntur, quibus aliae causae favent.

Neque Delirium tremens rarum est, a communi et apud plebem maxime immodico spirituosorum usu profectum, cujus morbi diversam indolem dynamicam medici observarunt; prout enim aut gravior cerevisia aut vinum adustum et subtiliora ejus genera, leviter irritantia, delirium excitaverant, ipsum malum aut torpore et animo hebeti, aut forma erethica et majore sensorii exaltatione, furiosis adeo deliriis, insigne erat.

Ex morbis infantum complures, ut Scrophulae, Rachitidis, Atrophia, Revaliae crebri observantur, propter nutricum lac corruptum, cum hae feminae, quas olim saepius, quam nunc, rure adsciscere solebant, simplicibus alimentis et vitae actuosae assuetae, contrariam plerumque vivendi rationem incant. Praeterea vitiosa infantum nutritio, quibus primis etiam aetatis annis largi e farina parati cibi praebeantur, et habitatio intra angustos urbis muros, incrementum sanitatemque eorum impediunt.

Feminarum menstrua multis vitiis obnoxia esse, nemo mirabitur, cum tot causae functionem eorum a norma declinantes concurrant, in quibus maxime nocentes sunt cum perfrictiones in crebris et per noctem productis saltationibus, tum universa, qua puellae educari solent, ratio et nimia animi contentio. Similibus ex causis saepe Chlorosis, Fluor albus et Hysteriae accessus prodeunt. Commemorandum denique videtur, proxima hieme febres puerperales frequentissimas, et infauste plerumque cum exitu, post faciles etiam partus, qui methodum operativam non flagitaverant, exstitisse, ita ut tertio vel quarto die peritonitidis symptomata apparerent, quibus aegrotae ad mortem inevitabilem ducerentur.

Epidemici quoque morbi varii interdum Revaliae grassati sunt, et maxime quidem nonnulla exanthemata acuta.

Scarlatina, etsi Revaliae nunquam abest, sporadici tamen casus benigniorem naturam habent. Paucis tantum annis hic morbus latius divulgatus est, atque auctumno maxime anni 1834 malignitate excelluit. Imprimis exanthema ad refugiendum inclinabat, quo facto respiratio diffilis, et purulentum ex naribus profluvium morbi exitum funestum indicabant.

Morbilli, rarius alio tempore exanthematis genus, a 1835 per totam urbem grassati sunt, plerumque periculosi et malignis dysenteriis accedentibus letiferi. —

Variolae verae compluribus annis, quamquam non ad modum malignae, observatae sunt. Sed vaccinatio magis divulgata Revaliae quoque hunc morbum olim tam exitiosum coërcuit. Nonnulli quidem dubii casus vaccinarum praesidio fidem detraxerunt; verum si qui post vaccinas insertas tamen variolis correpti sunt, hoc inde accidit, quod

saepius spuria pustula vaccina pro vera habita eos tulari non potuit. Nunc autem, cum medici a vaccinationis munere non recedant, tales errores evitantur. Postremis annis et varioloides increbrescentes pro peculiari paene morbo haberi poterant, cum in infantes nonnullos, quibus vaccinae modo insertae erant, inciderent, ita ut varioloides et vaccinae pustulae simul legitimo modo decurrerent. —

Anno 1833 et auctumno a. c. Influenza Revaliae epidemica erat. Aegroti primum gravedine, dolore frontali, et molestiis rheumaticis tentati sunt, dorsumque singulari quodam horrore perfundi sentiebant. Tussis vehemens, cum titillatione in trachea et faucibus, apud nonnullos cum faucium constrictione conjuncta erat. Nonnulli aegroti in respirando doloribus pungentibus, multi membranarum mucosarum in canali intestinorum affectionibus laborabant. Febris, initio cum gravibus horroribus accedens, remittebat, sub vesperam tamen exacerbabatur. Crisis morbi per cutem et renes tertio vel quarto die, multa pituita excreata, fieri solebat, interdum octavo vel quarto decimo die. Molesta plerumque ad tussendum irritatio remanebat, nec non recidiva periculosa saepe ingruerant. Adhibentur saepius remedia diaphoretica et dietae moderatio. Sed haec proximo auctumno non semper sufficiebant. Cum enim crebro symptomata nervosa, ut vehemens cephalalgia, deliria, adynamiae etiam nervosae indicia acciderent, ad remedia excitantia transeundum erat. —

Typhus contagiosus Revaliae saepius grassatus, imprimis a. 1826, 1831 et 1834. multos absumsit, species ejus nihil peculiare habuit. —

Cholera quoque, ut jam diximus, a. 1831 Revaliam attigit, praecedentibus multis abdominalium organorum

turbationibus, ut magna sensibilitate et propensione ad diarrhoeas, cardialgiam, colicam, et quaevis digestionis vitia; quin etiam singularis quaedam animorum affectio obtinebat. Julii tandem die 27^{mo} epidemia erupit, Augusti die 5^{to} ad summum fastigium accreverat, et 7^{mo} Septembri die quievit. Hoc mensis fere et dimidii spatio secundum tabulas in publicum editas, ex Revaliae incolis 500 morbo correpti, et ex iis 305 mortui, 195 sanati sunt; nosocomium autem militare 263 Cholera laborantes continebat, quorum 160 mortui, 103 sanati sunt. Morbus tamen non semper maligniorem illam formam induebat, ubi nervorum systema initio statim adeo laesum erat, ut nullus organismi reactioni locus daretur, et ubi, extremitatum et in univsum cutis frigore, pulsu vix percepto, sudore frigido, et virium prostratione praevalescentibus, diarrhoea et vomitus minoris momenti erant, sed saepe etiam leviores casus occurrebant, virium debilitatione minus quam diarrhoea copiosa et aquosa, vomituque violento insignes. Verum tamen, si non semper letalis morbi exitus erat, secundaria ex eo oriebantur mala, saepe gravissima, ut infirmitas universa, debilitas digestionis, congestiones in varias partes centrales, febres typhosae et lentae, hydropes. Inprimis et hic Cholera per infimam plebem, idque in suburbiis, se diffundebat, ubi fossam nominatim aquariam sequi videbatur. Curatio adhibita nihil a vulgari differebat, cum medici Revalenses certam aliquam methodum praeferre non possent.